
L



THADDAEI
S. R. I. COMITIS
DE TRAUTMANSDORF
METROPOLITANAE ECCLESIAE
OLOMUCENSIS CANONICI
IMPERIALIS COLLEGII GERM.
ET HUNG. TICINENSIS
ALUMNI



DE TOLERANTIA
ECCLESIASTICA ET CIVILI

AD


IOSEPHUM II. AUGUSTUM

TICINI.

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXIII.



AUGUSTE.



Nihil aetate hac nostra pervulgatius ac notius De Tolerantia *, ut aiunt , sive ecclesiastica sive civili argumento ; hoc in*

auctorum opusculis, hoc in legibus Principum, hoc fere in omnium ore versatur. Ubi enim fugatis errorum tenebris, malisque opinionibus eversis, quae iam diu inveteraverant, excussum est durae servitutis iugum, quo religionis titulo inique premebatur hominum societas, purior lux veritatis emersit, quae fulgore suo ad se convertit hominum animos, eosque pertraxit ad inquisitionem sui. Sed quod semper accidisse novimus, ubi aliqua nova quaestio orta est, etiam in re nostra contingere debuit, ut in varias partes hominum ingenia scinderentur, atque hinc inde ad extrema divergerent pugnanti-

bus

bus aliis pro veteri, quam alte imbiberunt, sententia, aliis stantibus ex adverso pro veritate e remotioribus saeculis redeunte; atque ut fieri solet, ob animorum aestum saepe ex utraque parte iustos veritatis limites excedente. Hinc varia hominum iudicia, hinc lites, hinc iurgia, hinc iniquae suspiciones in opuscula vix e limine salutata congestae, prout quemque suum trahit ingenium ac praeconcepta opinio. Quod sane non nihil me sub initio deterruerat, cuius ingenii, ut probe sentio, exiguae sunt vires, ac pro aetate mea necessariae eruditionis curta supellex. Haec enim materia natura sua difficilis ma-

gnisque implexa quaestionibus Theologorum, ac late patens per varias scientiarum provincias maximam sane eruditionem iudiciique vim expostulat, quam ut pro aetate atque ingenio meo possim afferre. Hinc rei magnitudine deterritus verebar, ne vires deficerent, vel ad extrema divergerem, incidens in scyllam cupiens vitare carybdim. Quare iam pene abieceram consilium de hoc argumento disserendi, quod prius animo conceperam. Sed aequissimae, quas Tu, AUGUSTISSIME CAESAR, tulisti, leges facem veluti mihi praetulere, quae in tam difficili itinere tutissimam viam commonstrant. Hinc excusso timore praeconceptum ani-

mi

mi consilium perficere aggredior, atque Caesareo *lumine fultus inter extrema securus incedens aeque ab iis abhorrebo, quae coeca quaedam superstitio religionis titulo invexit, & quae irreligiosa opinandi licentia in medium proferre consuevit. Hinc vero facile intelligis totum id quod perfecturus sum, qualecumque demum futurum sit iam tuum esse tibique iure deberi. Siquidem universa haec elucubratio ab aequissimis decretis tuis tamquam ab uberrimis fontibus hausta est. His ego illectus, his confirmatus erectusque, Te Ducem, Te Magistrum secutus sum, qui sub auspiciis tuis Romae primum educatus in Collegio Germanico,*

Tici–

Ticinum postea profectus , quo sapientissimo consilio Collegium illud transtulisti, quidquid hactenus in studiis profeci, curis vere paternis, praesidiisque AUGUSTAE *providentiae tuae me profecisse laetor. Quem enim vero latissimum rei litterariae campum munificentia tua in hac florentissima academia nobis aperuit! Hinc ego novis incitatus exemplis , novaque studiorum institutione adiutus animum appuli ad varia scientiarum genera addiscenda . Quae vero commoda , ut id obtineam , domi parasti! Nota sunt omnibus Instituta Collegii Germanici , quae nuper in lucem prodierunt. Ex his quisque discere po-*

test

test, quam alte Tibi insideat dignum AUGUSTO *animi consilium solidissimae morum aeque ac studiorum disciplinae promovendae. Illud tacere nequeo, quod singulari munere tuo nobis concessum est, habere nos scilicet egregios duos viros, Iosephum Zolam, ac Petrum Tamburinium celeberrimae Academiae Professores, quorum suavissima consuetudine summaque doctrina non uti solum, sed & frui mihi fas est. Hi sane stimulos mihi addiderunt, consiliis, monitis, atque opera iuverunt sua, ut hunc laborem susciperem, & inceptum absolverem. Nunc ergo absolutum, qualiscumque sit, rogo, ut clementer ac-*

cipias,

cipias, *Caesar Auguste*, *habeasque veluti primum studiorum meorum fructum*, *quem quidem exiguum esse plane scio*, *indignumque praesentia Caesaris*. *Sed summorum illud haud ignoro Principum esse magis animum scribentis spectare*, *quam operis magnitudinem*. *Ac maiora certe praestare subinde conabor*, *siquidem hoc libelli quodcunque est prodire patiaris tectum patrocinio Maiestatis Tuae*, *quam D. O. M. Ecclesiae & rei publicae aeternum servet*.

IN-

INDEX CAPITUM.

CA-

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT

CAPUT I.

Explicatur universim, quid sit tolerantia; deinde speciatim tolerantiae Ecclesiasticae, & civilis natura, atque discrimen exponitur.

I. AGAM igitur de tolerantia cum ecclesiastica, tum civili; ac quoniam recte monet Tullius ab eius rei, quae tractatur, definitione exordium sumi oportere, explicabo primum quid universim tolerantiae nomine intelligamus; speciatim vero quid sit tolerantia ecclesiastica, quid civilis. Siquidem non raro contingit, nisi vocabula accurate explicentur, ut nec quo spectet oratio, rite intelligatur, & plures lites oriantur, quarum vis tota est in nominum aequivocatione.

II. Ac primum exuenda est animo vulgaris opinio, qua credi solet ea pro-

bari, quae vel expresso vel tacito auctoritatis sive civilis sive ecclesiasticae assensu tolerantur. Qua in re maxima est iudicii perversitas. Confunduntur enim quae inter se maxime differunt; nec enim probantur nisi quae laude sunt digna, tolerantur autem quae mala sunt. Quare tolerantia est potius effectus patientiae, quam voluntatis. Inde enim oritur tolerantia, quod cum humana vis omnia mala non possit avertere, quaedam cogitur tolerare, ac instituto malorum examine ut maiora vitet, minora quaedam tolerare compellitur, quae tamen ipsa non probat, immo libenter, si fieri posset, averteret. Ergo tolerantia coactionem quamdam, seu repugnantiam includit. Aliud est, ait S. Augustinus contra Faustum lib. 20. c. 21. quod docemus, aliud quod sustinemus; aliud quod praecipere iubemur; aliud quod emendare praecipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.

III.

III. Ex quo sequitur tolerantiam etiam a permissione distingui ; nam tolerantur illicita ; non permittuntur autem nisi quae licita sunt. Quaedam actiones legibus vetantur, quaedam prohibentur ; quaedam denique permissae dicuntur. Quaeritur a iuris naturae magistris, an actiones permissae cadant sub lege, an vero aberrent a lege. Inter caeteros Burlamachius (*de iure naturae*) censuit vi legis non solum aliqua iuberi, vel vetari, sed etiam permitti, ut propterea non solum iussa, vel interdicta, sed etiam permissa a lege fluant ; ratus scilicet ea ipsa lege, qua fines praescribuntur, ultra quos progredi non licet, simul etiam praescribi, quo usque progredi datum sit. Ex quo colligit permissionem aeque ac obligationem vim suam omnem a legibus mutuari. Haec Burlamachii sententia aliis non placuit ; eamque refellit inter alios Hubnerus in specimine historiae iuris naturae, cuius argumenta in notas suas derivavit cl. De

Felice Burlamachii interpres, & commentator. Instituti nostri non est rem hanc pertractare. Id adnotasse sufficiat, ut inde pateat, quam longe absint a veritate, qui tolerantiam cum permissione confundunt.

IV. Ut ut res sit de legibus, ut aiunt, permissionis, illud certum est non permitti nisi quod licitum est. Civilis sane potestas, cuius est actiones subditorum dirigere ad societatis bonum, eas coercet, & ordinat, quae ad eum finem referri possunt, caeteras vero dimittit libero subditorum arbitrio. Lex ipsa divina licet universim omnes & singulas hominis actiones dirigat in summum bonum, cum tamen sint aliquae actiones, quibus aeque ad eum finem perveniri potest, singulas prorsus vi cogente non ligat, sed aliquas relinquit hominum libertati. At utrumque actionum permissarum genus res vel bonas, vel saltem natura sua indifferentes respicit, quae ob eam causam permissae dicun-

dicuntur. Quare quod malum est, non permittitur, sed toleratur.

V. Nec ideo putandum est tolerantiae fines esse solum legislatoris silentium super aliqua re vel actione, quasi lex quaelibet, quae a potestatibus fiat, tolerantiam in permissionem convertat, ac bonum, vel saltem indifferens illud reddat, quod malum est. Habet enim tolerantia leges suas, quibus & legislatoris voluntas declaratur, & tolerantiae fines praescribuntur. Nolo de variis modis disserere, quibus vel leges abeunt in desuetudinem, vel aliqui abusus tolerari a Principe intelliguntur. De his agunt Iurisperiti. Nobis satis est animadvertere etiam tolerantiam eorum, quae mala sunt, posse per legem indici, nec idcirco tolerantiae naturam mutari, quia haec per legem effertur. Notum est omnibus libellum repudii non quidem permissum ut bonum, vel tamquam indifferentem a lege Moisis fuisse, sed solum toleratum ut mi-

minus malum. At quis ignorat legem super hanc rem latam a Moise, modumque per legem fuisse praescriptum, quo id exsecutioni mandaretur? Leges vero civiles & ecclesiasticas, quae tolerantiam respiciunt, quis enumeret?

VI. Novum ergo non est legibus indici tolerantiam, quin haec induat permissionis naturam. Nam saepe contingit solum Principis silentium ad quietem Reipublicae non sufficere, sed requiri expressam illius voluntatem, qua se tolerare declaret, quae ad priora vitanda tolerare compellitur. Id saepe necessarium est ad irrequietos civium animos compescendos, ad insanum quemdam populi furorem coercendum, ad molestias a civibus repellendas, ad subditos denique in officio continendos, ne pacem turbent Reipublicae, ac titulo Religionis, vel honestatis bonum societatis evertant. Obligatio vero, qua cives tenentur, sustinendi, quae tolerari oportere declarantur, non ex natura

tura

tura rerum, quae tolerantur; proprie oritur, sed ex lege generali, qua subditi debent Principis obsequi voluntati, quae cuncta dirigit ad publicum societatis bonum, cui aliquando periculum imminet, nisi quaedam in Republica tolerentur. At qui ex eo colligeret mala, quae per legem tolerantiae in societate subsistunt, a Principe probari, vel Principis voluntate dimitti civium arbitrio tamquam bona, vel indifferentia, is consecutionem deduceret maiorem praemissis, ac pessime confunderet, quae sunt accurate distinguenda. Quae sane distinctio ut fiat, rerum naturam metiri debemus, & Principis indolem, animique consilium, quod se prodit ex eiusdem lege, modoque loquendi, variisque cum temporum, & locorum, tum personarum adiunctis. Quibus rite perpensis facile innotescit, quae lex iubens, aut vetans; quae lex permissionis, vel solius tolerantiae definienda sit. Caeterum nemo non intelligit, dum tolerantiam a

missione distinguimus, nos sumere permissionis vocabulum stricto ac philosophico sensu, eo nempe, quem supra exposuimus. Nec enim nos latet vulgari sermone promiscue ad idem significandum tolerantiae, & permissionis nomina usurpari.

VII. His generatim positis facile intelligitur, cum Ecclesia vel Princeps aliquid tolerare dicitur, non inde sequi Ecclesiam, vel Principem id probare, vel permittere, quod sustinere cogitur. Ex quo apparet quam labili fundamento nitantur, qui ex silentio, vel etiam legibus tolerantiae Ecclesiae vel Principi tribuunt, quae in christiana, vel civili societate tolerari contingit, quasi ab Ecclesia, vel Principe probentur, aut permittantur, quae utriusque spiritui maxime opponuntur. Quae quidem agendi ratio & Principi & Ecclesiae maximam invidiam creat. Hoc enim titulo scimus & Principum famam, & Ecclesiae puritatem in discrimen non raro vocari, cum saepe fiat, ut

turpia scelera, faedissimae prolapsiones, abusus, & errorum monstra sublimiorum potestatum auctoritate apud imperitos tegantur. Ita ex. g. saepe conclamatum est Molinismum, Probabilismum, & alia plura neotericorum principia absona a veritate catholicae doctrinae ab ecclesia probari, vel saltem permitti, quod ipsa coacta sit ad peiora vitanda, vel silentium servare, vel etiam tolerantiae leges efferre. Ita aetate hac nostra piissimos Principes tamquam irreligiosos, & impios traduci non semel audivimus, quod schismaticos, haereticos, aliosque a catholica Religione aberrantes in ditionibus suis tolerare compulsi eosdem latis legibus securos effecerint ab iniuriis, atque molestiis reliquorum civium. Id nempe contigit non absque insigni publicarum potestatum iniuria, & gravissimo Reipublicae & Ecclesiae detrimento; nec aliunde contigit nisi ex duabus illis tolerantiae, & permissionis invicem permixtis notionibus.

VIII.

VIII. INTEREST ergo plurimi has notiones secernere, ut percipiamus, quaenam sit vis tolerantiae sive ecclesiasticae sive civilis; quibus utraque finibus contineatur; quos pariat effectus; quo usque inculpate protendi possit; quod ut clarius definiatur, praestat breviter utriusque naturam, indolem, ac differentiam exponere. Ac primo quidem tolerantia vel doctrinam respicit, vel personas. Quare primum ipsa distinguitur ratione habita obiecti, circa quod versatur. Quum hominum opiniones ac placita nihil habent affinitatis cum publico bono, ac hominum felicitate, nihili interest, quae demum placita in societate vigeant. Quid sane ex. g. emolumenti, vel detrimenti societati impendere intelligitur, quod in explicandis naturae phaenomenis utaris magis Cartesianis, quam Newtonianis hypothesibus, vel in astrorum motibus exponendis potius Copernicanum systema, quam Ptolemaicum aut Tychonicum adhibeas?

beas?

beas ? Id astronomorum curae sit, non civilis, aut ecclesiasticae potestatis, cui nihil accedit, vel detrahitur, quamcumque demum in hoc rerum genere opinionem inter homines dominari patiatur. Atque super his rebus non tolerantia solum, sed & permissio cadere potest, cum de rebus agatur naturae reconditis, indifferentibus, ac liberae traditis hominum disputationi.

IX. At sunt plerumque populares errores, & superstitiones, quae cum quibusdam societatis officiis connexionem habent; sunt falsae de Deo notiones, quas praestat habere purissimas, ut puram habeas religionem, qualis Deum decet, & homines. Haec vero non raro tam late patere contingit, tamque profundas inter populum radices agere, ut si ea extirpare velis, quoniam mala sunt, longe maiora tibi timenda sint, turbae scilicet, seditiones, tumultus, ac totius societatis confusio. Haec pro tempore ac locorum circumstan-

tiis publica auctoritas tolerare cogitur, nec raro leges ferre, quibus eorum tolerantia praescribitur. Quod dum fit, non permittitur mala doctrina, sed toleratur; ut quoniam veritati pro temporum perversitate sicut oporteret, succurri non potest, saltem securitati Reipublicae, mutuaeque hominum concordiae consulatur.

X. Atque haec tolerantia doctrinae cum tolerantia personarum coniungitur. Immo non alia de causa toleratur error, nisi quia necessitas cogit errantes sustinere. Quare cum ecclesia patitur super quibusdam doctrinae christianae capitibus alios aliam tenere sententiam ab ea, quam docet catholica veritas, quin errantes e sinu suo eiiciat, privetque communione Sacramentorum, quibus christiana societas colligatur, tum errantes tolerare intelligitur; atque haec tolerantia proprie dicitur ecclesiastica, quoniam ea manat ab ecclesia, idque respicit, quod ipsius est proprium. Cum vero Princeps catholicus impune ac libere sinit

in

in ditione sua consistere subditos alterius ab ea, quam ipse profitetur, religionis ac sectae, iisdemque sinit societatis iuribus dissidentes frui, quibus & caeteri fruuntur, tum eos civiliter tolerare dicitur. Quae quidem civilis tolerantia diversos gradus habere potest, ac pro Principis voluntate magis minusve patere. Quod locum habere potest etiam quoad ecclesiasticam tolerantiam. Quare & de finibus utriusque aliqua identidem in hoc opusculo disseremus.

XI. Interim patet utriusque tolerantiae discrimen cum ratione habita obiecti, tum ratione habita potestatis. Siquidem ecclesiastica ad ecclesiam spectat, ac iura respicit communionis Sacramentorum. Civilis vero ad Principem pertinet, atque ad iura civilis societatis refertur. De utraque agendum est. Hinc intelligitur, quam multa nobis tractanda sint. Dicemus primo de ecclesiastica tolerantia, & inquiremus, quae licita, quae illicita sit; quibus finibus eadem

dem contineatur erga domesticos ; quae sit ei agendi ratio erga extraneos. Pergemus deinde ad civilem ; breviter tamen id exsequemur , ac veluti per summa capita. Nobis enim in animo est magis fila contexere longioris operis , quod fortasse pro temporis opportunitate in lucem prodibit , quam nunc integram , & absolutam de hoc argumento dissertationem conscribere.



CAPUT

CAPUT II.

Haereticorum dogma de tolerantia ecclesiastica refellitur.

Ex iactis tolerantiae, ac permissionis definitionibus satis clare percipitur cuiusque discrimen. Sed antequam definiatur quid licite tolerare possit ecclesia Christi, praestat inquirere, quid tolerare iure non possit. Abhorremus enim quam maxime ab illo impiorum aetatis nostrae dogmate, quod omnes sectas, cuiuscumque generis sint, aeque bonas, ac salutares adstruit, nihilque interesse ponit ad salutem, an Iudaeus, vel Mahumetanus, vel ethnicus fueris. Quod quidem sensisse veteres Philosophos non miror, qui cum superno divinae revelationis lumine carererent, abeuntes imbecillis rationis ope in varias, ac inter se discordantes sententias in veritate inquirenda defatigati spem omnem amiserunt

fore

fore ut eam invenirent, atque in desperationem coniecti eo devenerunt, ut hinc inde iactati animi veluti perfugium quaererent in tolerantismo, ut aiunt, religionum omnium, atque sectarum, ea tamen conditione adiecta, ut quisque eam coleret, quam patriae, ac Principis leges statuerent. At ubi lux divina resplenduit, quae homini erranti ac profugo facem praebuit, viamque salutis, eiusque capessendae adminicula determinavit, nec absque divinitatis iniuria, nec absque mentis insania admitti potest discordium ac inter se conflictantium opinionum, atque sectarum commixtio. Cum enim veritas una sit, cumque haec patefacta hominibus divina largitate fuerit, quis non videat eo ipso reiectas fuisse aberrationes omnes humanae mentis, hominesque adactos esse ad eam unam consectandam salutis semitam, quam summus omnium provisor aperuit? Iamdiu iacuerat hominum genus in tenebris, & umbra mortis; iamdiu vagata est humana ratio

sine

sine ullo laboris effectu per opiniones inextricabiles. Iam diuturna saeculorum experientia ipsa senserat se imparem esse veritati assequendae. Id noverat Plato, qui propterea scripsit: nemo pietatem docere potest, nisi Deus quasi dux, & magister praeiverit; & iterum in Alcibiade; nihil tutius, atque consultius est, quam quiescere, & expectare, donec aliquis didicerit, quo animo & erga Deos, & erga proximos esse oporteat. Quod etiam repetit in Phaedone. At non est passus Deus hominem lumen sapientiae requirentem oberrare diutius; hinc aperuit oculos eius aliquando, notionemque veritatis munus suum fecit, ut & humanam sapientiam nullam esse monstraret, & erranti viam consequendae immortalitatis ostenderet. At id frustra egisset Deus, si quamlibet viam homo teneret, perinde esset quoad salutis negotium. Quo demum spectant divinae providentiae consilia, si quidquid homo finxerit circa religionem, aequè bonum sit, Deoque

acceptum, & homini salutare. Insanum igitur est, Deoque iniurium sectas omnes aeque bonas adstruere, immo hoc est rerum naturas evertere; diversos scilicet effectus paribus caussis tribuere, similesve diversis, quasi nempe eodem ducere tum error, tum veritas, ac inter se oppositae viae eumdem exitum habere possint. Quis ignorat, si natura differt a virtute vitium, ut reapse differre exploratum est, nisi velis omnia miscere, atque confundere, quis, inquam, ignorat diversa esse oportere utriusque consectaria, & effectus? Quis nescit diversam de Deo, eiusque attributis sententiam diversos parere animi motus in homine? Interest autem plurimum scire, quo animo erga Deum & proximum te esse oporteat. Cum vero, ut iterum dicam, veritas una sit, nec nisi una esse possit, una pariter esse debet virtutis, ac salutis via. Quae sane unitas cum inter se discordibus sententiis nequit consistere. Quare vel ponis divinam revelationem exi-

stere

stere, ac tum insanias necesse est, si Dei lumine spreto parem vim tribuas humanae mentis opinionibus inter se, & cum ratione saepe pugnantibus. Si vero nullam revelationem saltem ut certam agnoscis, longe minus absurde diceres cum Platone, quiescere, & expectare oportere, donec aliquis didicerit, quo animo erga Deum & proximum esse oporteat, quam illud fingere monstrum, quo tam diversas ac saepe contrarias religiones, & sectas in unum conspirare posse dicitur, atque ad eumdem aeque perducere.

Sed iam hoc argumentum a nostris tractari solitum adversus liberiores aetatis nostrae Philosophos vix attingere volui, nec alia caussa nisi, ut gradum veluti facerem ad aliud tolerantiae genus, quod non minus ac prius, recta ratio condemnat. Hoc autem illorum est, qui in eo convenientes, quod una esse debeat virtutis, ac beatitudinis capessendae via, nobiscum ponunt divinam revelationem existere, eamque a

Christo humano generi allatam, a quo christianae religionis professionem, ac nomen sumpserunt. Sed cum Ecclesiae catholicae auctoritatem divinae revelationis interpretem abiecerint, eam humanae rationi, privatoque arbitrio subiicere coacti sunt. Quo factum est, ut infinitae propemodum sectae ortae sint inter se pugnantes, cum quisque sibi fas esse crederet ex verbo Dei quaecumque vellet seligere, & quae nollet respuere, eodem prorsus libertatis iure, quod primi sectarum auctores sibi arrogarunt. Quam postea absurditatem, ex qua tanta sectarum confusio inter eos orta est, ut aliquo colore praetexerent, illud dogma adoptarunt: ad iustitiam, ac salutem sufficere fundamentales, ut aiunt, christianae fidei articulos credere, nihili vero interesse ad salutem in minus praecipuis fidei capitibus dissidere. Hinc via coelorum dilatata est, ac data communio pluribus sectis in multis religionis articulis diversa sentientibus.

Scili-

Scilicet duo christianorum dogmatum genera distinguunt, quorum alia numero quidem paucissima negligi aut negari non possint sine aeternae salutis discrimine; alia vero, de quibus cuiquam pro ut libet sentire fas sit, quin salutem in discrimen adducat, licet in his explicandis a verbo Dei scripto dissentiat. Quare ecclesiam unam vocant propter fidelium consensum in iis dogmatibus, quae salutis fundamenta esse dicunt, nec unitatem fidei scindi existimant, nisi propter dissensum in hoc dogmatum genere. Sic coetus omnes, qui Christiano nomine gloriantur, ut ut in maxima dogmatum parte discrepantes in unam, eamdemque societatem congregant, & Ecclesiam quasi rempublicam foederatam habent in paucis solum, ac praecipuis capitibus uniformem: quae quidem capita tam clare in sacris litteris expressa fuisse volunt, ut quilibet sine ope alicuius magisterii facile ea possit addiscere. Quo fit, ut unitas fidei, quam ipsi statuunt,

inter sectarum diversitatem semper incolumis maneat, quin opus sit ponere in religione iudicem aliquem a Deo delectum, qui in fidei controversiis finiendis nec falli, nec fallere possit. Haec est communis non modo Arminianorum, sed etiam Calvinianorum sententia, quam ex Arminianis explicant eorum princeps Iacobus Arminius, Episcopius, Limborchius, Grotius, aliique; ex Calvinianis autem Petrus Iurieu, Iacobus Usserius, Turretinus Genevensis, & alii. Atque huc quidem vi systematis delabi debuerant. Alioquin semel fracto visibilis auctoritatis repagulo, & aucta in dies opinandi licentia, scissis in varias partes hominum ingeniis, brevi ruisset mole sua regnum in se ipso divisum, atque huic ruinae frustra occurrisset Principum potestas, cuius esse dicit Grotius, christianas omnes sectas in unum cogere coetum pro bono reipublicae, hoc est aram veluti condere, cuiusmodi Hadriani Imperatoris ara fuisse fertur, in qua inter multa idola Christus etiam colebatur.

SED

Sed ex remedio, quo ruinam avertere societatum suarum student heterodoxi, facile intelligitur, quam malam caussam habeant prae manibus. Nihil enim absurdius, nihil ineptius hoc perfugio excogitari potuit. Adversus hanc commixtionem sectarum permissam tamquam innoxiam ac bonam plures scripserunt, ac inter caeteros Petrus Nicolius in libro edito adversus Iurieum. Nolumus de hoc argumento late disserere. Principia tantum attingam, quibus clare elucescet praedictae sectarum omnium in Religione communionis absurditas. Ac primo quidem iniuria irrogatur Dei verbo, cuius dictata, etsi minima videantur, eadem prorsus reverentia suscipere par est. Horum enim omnium auctor est Christus, qui e sinu Patris ea nobis attulit, & enarravit. Sunt quidem alia aliis potiora tum natura sua, tum quod Christus quaedam voluerit ab omnibus etiam idiotis, ac rusticis explicite credi, quaedam tantum, ut aiunt, implicite, sed nullum vel minimum patitur impune negari,

cum id fieri nequeat absque sacrilego contemptu verbi Dei, cui ne apicem quidem, vel iota unum posse detrahi ipse testatur. Hinc omnia quaecumque dixit, iussit Apostolis suis praedicari gentibus, ac generatim pronunciavit eum, qui non crediderit, condemnari, nullum fidei dogma, nullumque excepit articulum, quasi quidpiam a Deo revelatum, aut negari, aut negligi possit impune; immo declaravit eum qui offenderit in uno, fieri omnium reum, eadem enim ratio nos urget, ut omnia credamus, quae divinitus revelata sunt, nec sine divinae veracitatis iniuria fieri potest discretio inter ea, quae sunt necessario credenda, a minime necessariis Nam quaecumque scripta sunt, ad utilitatem nostram scripta sunt, ut sit homo perfectus ad omne opus bonum. Quare sine blasphemia dici non potest quaedam esse in divinae revelationis codice, quae sive credas, sive neges, perinde sit quoad salutis negotium. Id autem putet necesse est, qui sectas omnes Cristianas indiscriminatim adstruit aeque bonas, ac salutares.

Scio

Scio quidem, ut iam monui, etiam a nostris distingui magis minusve necessaria ad salutem. Scio vulgarem distinctionem admitti explicitae, & implicitae fidei aliquorum mysteriorum Dei, ac fine aeternae salutis discrimine carere quempiam posse expressa notitia alicuius minus praecipui articuli fidei Christianae; nec demum ignoro quaedam fidei capita esse veluti fundamenta salutis ab omnibus propterea expresse credenda; alia vero minus praecipua, quorum fides, ut vocant, implicita, saltem pro rudi populo satis est ad salutem. Sed haec distinctio, quae sumitur ex ipsa natura rerum, ex divinae providentiae oeconomia, atque ab Ecclesiae catholicae sensu, longe distat ab ea dogmatum distinctione, quam haeretici faciunt, ut etiam dissidentibus communionem exhibeant. Dissidentes enim non iam ignorant, sed negant ea fidei capita, in quibus ab aliis sectis dissentiunt. Quare qui ponit eam fidei veritatem, ac nihilominus exhibet refractario communionem, in ea animi persuasione esse de-

debet nihili interesse ad salutem verbo Dei scripto quidpiam detrahere; ac rem prorsus esse adiaphoram vel totam, vel partem solam divinae revelationis admittere. Quod sane absque sacrilegio cogitari non potest. Atque idem dici potest de refractario, qui cum eo communicat quem putat corrumpere verbum Dei, idque ut revelatum obtrudere, quod revelatum non est. Utrumque sane gravissimum scelus esse quis sine impietate negaverit? Ergo cum dissidentes in aliquo fidei articulo sese mutuo in communionem recipiunt, illud sibi in animum inducant necesse est, gravissimum crimen ab assequenda salute non impedire.

Res aliter se habet, quum in Ecclesia catholica de re aliqua disputatur, quae ad fidei summam pertinere creditur. Nam quaestio movetur, an ad fidem res spectet, de qua disputatur; cumque inter catholicos harum controversiarum iudex sedeat Ecclesia, donec ipsa iudicium suum

inter-

interponat, possunt fideles integro manente communionis vinculo, inter se litigare. Nullus enim iure potest Ecclesiae praeire iudicio; nec privatorum est articulos fidei definire. Ex altera parte eorum quilibet paratus est animo Ecclesiae sequi iudicium, atque in unam coire sententiam. Quo fit, ut alterutrius error possit esse inculpabilis, ac ideo alter cum alio communicare debeat in vinculo pacis, donec alterutra pars vel se dividat ab unitate, vel fuerit totius Ecclesiae iudicio praecisa.

Hoc vero non accidit in promiscua haereticorum communione. Quilibet enim eorum privato spiritu, quem putant esse interius Dei donum, certissime credit esse fidei articulum, quem alter negat. Quare de re dubia non agitur, cuius iudicium expectandum sit, sed de re iam decisa & privato cuiusque spiritu, & unanimi totius sectae, quam ipse sequitur, iudicio. Quare non potest iudicare rem esse adiaphoram illud fidei caput profiteri, vel

infi-

inficiari ; ac ideo nec admittere ad communionem pertinaciter repugnantem. Quod si erroneam alterius persuasionem excusari posse respondent, illud prae oculis habeant necesse est, hic a nobis non agi de tolerantia personarum, de qua infra dicemus, sed de publica permissione legibus sancita, qua declaratur unicuique liberum esse in articulis fidei, quos minime necessarios arbitratu proprio fecerunt haeretici, pro cuiusque ingenio ac voluntate sentire. Hoc loco illud reprobamus dogma, quod universim iaciunt, in pluribus fidei capitibus, immo & in maxima horum parte (cum fundamenta salutis eorum iudicio sint numero paucissima) nihili ad salutem interesse quid sentias. Hoc principium refellimus tamquam absonum a ratione ; & a communi hominum sensu, nihil modo solliciti de ea quaestione, an haereticorum persuasio culpa carere possit. Quae res ut definiatur, aliis principiis utendum est, ac praesertim doctrina super Ecclesiae au-

ctori-

ctoritate, quam ipsi impune reiicere nequeunt. Caeterum si ob intimam persuasionem animi, quam quisque habere potest, excusandus sit error, cur pari ratione error, ut aiunt, in fundamentalibus excusari non poterit? id acute viderant Simon Episcopius, & Limborchius, qui propterea sese coniunxerunt vel ipsis Socinianis, quos certe constat in praecipuis christianae fidei articulis dissidere. Hac ratione etiam atheum esse impune licebit. Tam late patet illius principii perversitas, qua summo dolore confiteri debemus etiam plures ex nostris Casuistis in tranversum actos fuisse, si nostros dicere fas est, qui tam longe a catholicae doctrinae principiis recesserunt.

CAPUT

CAPUT III.

Continuatio eiusdem argumenti .

SED iam aliis argumentis pergamus ostendere , quantum repugnet Ecclesiae Christi spiritui , ac constitutioni promiscua , de qua loquimur , sectarum communio . Ac primo quidem ea est indoles, atque natura, is scopus praecipuus religionis christianae , ut charitatis vinculo omnium animos simul devinciat , & uniat , ut eodem veluti per membra permeante spiritu unum corpus efficiat, moveat , vivificet , ut una omnibus sit mens , unum cor , anima una , ac ita unum omnes sint in Christo , sicut Christus , & Pater unum sunt . Hanc animorum coniunctionem attulit Christus in terris ; cumque huic unioni obstent maxime perversae hominum cupiditates , quibus humana societas in diversa distrahitur , ac secum ipsa pugnat , venit ipse ignem mittere

tere in terris, voluitque, ut accenderetur, eoque omnes malae cupiditates consumerentur, ac ita una charitas regnaret in hominum animis, & per eam regnum suum Christus firmaret. Huic nobilissimo fini tota religio refertur. Hinc illud Augustini dictum: tota scriptura eo tendit, ut charitatem adstruat, & culpet cupiditatem, eoque modo informet mores hominum.

II. Quid autem huic sanctissimae animorum coniunctioni, quae perfectionem suam obtinebit in patria, magis adversatur, quam in rebus fidei sententiarum diversitas? Id qui negat, ignoret necesse est, quam arctum sit mentis & cordis commercium ac muta affectionum utriusque quasi actio & reactio. Quid notius in humani generis historia, quam varietate opinionum discordias foveri, pacem vero unitate doctrinae? Quod maxime locum habere in religionis negotio, quod magis ac latius homines afficit; cum vetera, tum recentia monumenta testantur. Hinc nihil magis sacrae litterae inculcant quam unitatam

fi-

fidei; solliciti, ait Apostolus ad Ephes. 4., servate unitatem spiritus in vinculo pacis; unus Deus, una fides, unum baptisma. Rogat idem fideles, vitent cane peius & angue varias ac discordes doctrinas. Rogo, ait ad Rom. cap. 16. v. 17. vos fratres, ut observetis, eos qui dissensiones, & offendicula praeter doctrinam, quam coluistis, faciunt, & declinate ab illis. Ad Cor. 1.: obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Atque ut alia praeteream, ad Hebraeos 13., doctrinis, ait, variis & peregrinis nolite abduci. Intellexerat nimirum, cum doctrinae diversitate unitatem animorum componi non posse, atque ideo evacuari prorsus christianae religionis praecipuum finem, si in rebus fidei data sit cuique facultas sentiendi quod libitum fuerit. Aliam sane ab ea, quae est, naturam hominum fingat, oportet, qui haec simul conciliari posse opinatur.

Idem Joan. in Epist. 2. vers. 10.

III. Hac de caussa ea semper fuit chatolicae

licae Ecclesiae consuetudo, ut eos in numerum suorum reponeret, qui universam Christi doctrinam colerent, eos autem arceret, qui pertinaciter aliquod religionis dogma reiicerent. Hinc vetus Ecclesia e sacris expulit non modo Cerinthianos, Arianos, Sabellianos, aliosque, qui praecipua religionis capita in dubium vocarunt, sed etiam Novatianos, Catharos, aliosque omnes haereticos, qui qualemcumque ut ut minus praecipuum fidei articulum inficiari ausi sunt. Sciverat enim omnia in religione dissidia illud scindere vinculum unitatis, quo tota spectat Christi religio; nec unquam admisit vanum illud novatorum perfugium, quo dicitur liberum esse cuique sentire pro ut vult in articulis minime necessariis. Nam praeterquam quod noverat ipsa servandum esse integrum fidei depositum sibi commissum, nec permittendum, ut ulla vel minima pars ei detrahatur, sibi quoque perspectum habebat hanc non esse sanciendi mutui inter chri-

stianos foederis rationem, sed potius ex eo principio longe maiores timendas esse inimicitias, ac contentiones. Nam vel in ipsis necessariis articulis definiendis nullus erit litium finis. Nam quae huic videntur fundamenta salutis, eiusmodi alteri non sunt; & inter praecipua fidei capita alius plura, alius pauciora mysteria recenset. Id in novatoribus perspicuum est. Siquidem Calvinianorum plerique ea putant esse fundamenta salutis, quae explicatis verbis a canonicis scriptoribus efferuntur, in caeteris vero, quae ex perspicuis eorum sententiis veluti consectaria inferuntur, aut quidpiam habent obscuritatis, dicunt licere cuilibet sentire quod libet. Alii vero opinantur contineri symbolo quod vulgo dicitur Apostolorum, dogmata, quae sine salutis discrimine negari non possunt. Franciscus Buddeus loco fundamenti Christum ponit, atque ea omnia ad salutem pertinere existimat, sine quibus comparari finis non potest, cuius caussa Christus

gessit

gessit quaecumque operatus est. Arminiani denique numero paucissima complectuntur fidei dogmata necessario credenda, ea scilicet, quae nitide in sacris litteris exprimuntur, adiecta sanctione beatae immortalitatis adfuturae credentibus, vel miserae post obitum vitae non credentibus. Ex quo intelligitur pro dignoscendis necessariis fidei capitibus aliam aliis regulam esse, ac diu certatum esse inter eos, quin hactenus omnium suffragio norma credendi sancita inveniatur. Quo perspicuum fit tantum abesse, ut per illud effugium ratio habeatur conciliandae inter christianas sectas unionis, ut potius per illud aperta sit ianua infinitis hominum litibus, ac contentionibus inextricabilibus. Igitur novatorum systema multum abest ab indole religionis christianae, eiusque scopo, qui totus, quemadmodum diximus, in eo est, ut una proposita omnibus credendi norma, ac prorsus adempta luxuriantibus ingeniis in rebus fidei effraeni opinandi licentia

una mens omnibus sit , atque hinc unus in Deo omnium animus fiat ; quo tota spectat , iterum dico , christiana religio .

IV. Nec quidpiam eorum caussam iuvat reponere, dissidium esse de religionis dogmatibus , quae intellectum , seu fidem respiciunt , non voluntatem , seu mores ; ac ideo nihil timendum esse pro societate , cum in hanc nihil influant dogmata , ut aiunt , mere speculativa . Nam primo novatorum systema de promiscua sectarum communione latissime patet , neque ad solos fidei articulos coercetur ; neque ulla ratio , ob quam coerceatur , proferri potest . Communio sane exhibetur dissidentibus etiam in morum articulis maximae necessitatis . Quis ignorat Lutheranos de necessitate bonorum operum male sensisse? Id quod fluxit ex male sano de sola fide iustificante principio . Quis nescit Calvinistarum de perennitate , atque immutabilitate iustitiae sententiam totam veluti e fundamentis ethicam christianam subruere ,

ut

ut peculiari libro adversus ipsos ostendit Clar. Antonius Arnaldus? Quis demum ignorat partim inepta ac ridicula, partim impia & blasphema Socinianorum commenta de Iesu Christo mediatore, de vi Sacramentorum, de peccato originali, de indole iustitiae christianae, de futuro impiorum statu, aliisque id genus multis, quae nemo negaverit esse praecipua morum principia, ac veluti bases totius ethicae christianae? Atqui tamen his omnibus indiscriminatim communio exhibetur. Ergo eorum iudicio nihil obstat Ecclesiarum communioni, nec dissidium quidem de praecipuis morum principiis.

V. Deinde novit Deus, quae pro hominum utilitate revelanda erant. Hinc sine ipsius iniuria ea distinctio fieri non potest, quasi nihil vel parum ad salutem conferant fidei dogmata. Quid enim, si haec propius intellectum attingant, quam voluntatem? Exploratum sane est voluntatem, eiusque affectiones formari iuxta

formam, quam intellectus praestituit. Notum est omnibus notiones intellectuales esse veluti facem, qua praelucente voluntas dirigitur, ac movetur, ex iisque constitui iudicium, ut aiunt, practicum, ac ita mores hominum informari. Hinc pro varia populorum religione variam extitisse morum disciplinam historiis proditum est; nec minus per eas exploratum, quantum influxum habuerint in societatis bonum principia quaedam theoretica, quae pure speculativa videbantur. Adeo certum est morum disciplinam fidei respondere, ex eaque deduci, veluti consectaria ex principiis, morum praecepta.

VI. Hanc sane connexionem divinae providentiae oeconomia satis ostendit. Nam vel ipsa fidei mysteria ad informandos mores Deus ordinavit. Sic religionis arcana, quae intellectus creati aciem fugiunt, revelare Deus voluit, ut homo disceret superbiam mentis, quae superbia oculorum in sacris litteris dicitur, chri-

tiana

stiana humilitate compescere. Sic attributa Dei commendantur, ut inde patefiat obligatio, qua tenentur homines Deo exhibere cultum, reverentiam, famulatum. Per verbi divini mysteria in terris patefacta hominum animi ad amorem erga Deum excitantur. Per altiora praedestinationis arcana, & divinae gratiae oeconomiam salutaris timor incutitur, & homo salutem suam operatur. Aperitur grande illud peccatum protoparentis, & ex eo transmissa ad posteros vulnera, ut cognita morbi caussa remedia suppeditentur, quibus sauciatus animus reparetur. Christus ipse religionis mysteriis usus est, cum morum regulas traderet. Nam quum mutuam animorum coniunctionem inculcat, eam intimam unionem sub oculos ponit, qua ipse, & Pater unum sunt; quum ad sanctitatem fideles suos adhortatur, perfectionem Patris sui, quam aemulentur, in exemplum adducit. Ut vanam rerum istarum sollicitudinem ex animis nostris avellat, divi-


nam providentiam ostendit, qua volatilibus caeli, ac minutissimis quibusque rebus prospicit. Cum demum de matrimonio disserit, altius rem repetit, atque ad ipsum creationis mysterium adscendit. Piura praeterco, quae afferri possent. Hunc Christi morem aemulati sunt ipsius discipuli, qui toti in eo fuerunt, ut ex fidei mysteriis morum praecepta colligerent. Id constat perspicue ex Apostolorum, maxime vero S. Pauli epistolis; atque ad horum exemplum ita se gesserunt Ecclesiae Patres, ut facile patet ex eorum operibus, ac praesertim ex concionibus, quas habuerunt ad populum. Ex his elucescit, quam arcta sit connexio dogmatum fidei, morumque doctrinae, & quantum periculi etiam pro morum disciplina formanda in eo sit, ut quis fidei mysteria dividat, atque ita eam connexionem abrumpat, quae ex unitate systematis christianae religionis coalescit. Omnia enim in religione christiana ita colligata sunt, ut si unum

quasi

quasi filum abruperis, tota veluti textura detrimentum patitur. Siquidem nunquam sine periculo scinditur unio multorum, ex quibus unum coalescit. Habent enim veritates omnes mutuam relationem, magis minusve proximam pro maiori vel minori ab uno veluti centro distantia, in quo omnes uniuntur; nec abhorret a similitudine physici corporis, quod ex pluribus partibus invicem cohaerentibus compactum est, religionis systema, quod ex multis veritatibus quasi unum morale corpus efficitur. Sponsa igitur Christi, cui commissum est veritatum omnium depositum, gravissime se peccaturam esse intelligit, si tam mirabilem divinarum veritatum texturam quidpiam detrimenti pati sineret. Peccaret enim gravissime adversus summam Dei revelantis veracitatem, adversus indolem religionis sibi concreditae, eiusque praecipuum scopum, quem Deus in ea stabilienda constituit. Ergo certissimum maneat veram Ecclesiam Christi eo sensu,

quem

quem capite primo explicavimus, permittere nunquam posse in aliquo vel minimo fidei articulo dissidium, neque ut suos agnoscere, qui vel exiguum fidei caput pertinaciter recusant admittere.



CAPUT

CAPUT IV.

Quid tolerare aliquando licite possit, immo & debeat Ecclesia.

I. At si ex amore unitatis ad quam tota religio christiana refertur, perspicue colligitur longe distaré ab eius indole atque ab Ecclesiae spiritu promiscuam dissidentium sectarum communionem, ut hactenus explicatum est, ex eiusdem unitatis amore consequitur Ecclesiam plura licite posse, & debere aliquando tolerare mala, ac summa animi lenitate prosequi errantes non solum domesticos, sed etiam extraneos. Id quibusdam fortasse videbitur absurdum, nec satis cohaerens, quasi ab uno principio duo tam diversa prodire possint, cuiusmodi sunt intolerantia, ac tolerantia. Verum si prae oculis habeantur, quae cap. I. disseruimus de permissionis, & tolerantiae natura, ac discrimine, facile intelligitur

gitur, qua ratione unus idemque unitatis spiritus, & odium pariat adversus errorem, nec unquam eum licite grassari permittat, ac simul cum veritate consistere, & aliquando non solum errantes, sed etiam errorem tolerare compellat. Iam monuimus non esse confundendam cum tolerantia permissionem; ut propterea ex diversis quas dedimus utriusque notionibus facile nodus iste explicetur. De errantibus cum domesticis, tum extraneis, deque ratione, qua utrique tractandi sunt, paullo post disseremus. Nunc pauca dicam de erroribus, quos interdum Ecclesia cogitur tolerare.

II. Ac tum errorem intelligo tolerari ab Ecclesia, quum super aliquam fidei controversiam iudicium suum suspendit, nec ultimam, seu definitivam, ut aiunt, sententiam pronunciat. Ecclesia est columna, ac firmamentum veritatis, ut eam appellant sacrae litterae. Ea est veritatis domicilium ac sedes, ut PP. loquuntur.

Quare

Quare ab eadem omnes, ac singulae fidei veritates docentur; nulla vel minima fidei veritas in eius sinu interire potest; sed integrum fidei depositum, quale Christus eidem concredidit, perpetua successione ab illa propagatur ad posteros; idque fiet usque ad saeculi consummationem, Ecclesiam suam semper regente divino numine, sicut Christus pollicitus est. Sed aliud est docere, aliud definire: aliud instruere fideles, aliud sedere iudicem controversiarum: aliud tradere doctrinam acceptam primitus a Christo, aliud eam a superinductis hominum erroribus vindicare. Ecclesia divino spiritu afflata semper docet, semperque docebit veritatem omnem. Sed Ecclesia non semper sedet iudex controversiarum. Mirum quae confusio orta sit in eorum cerebro, qui haec duo simul permiscere cogitatione voluerunt. Inde enim factum est, ut cum perspicerent Ecclesiam super aliqua re diu sententiam suspendere, vel ipsam Ecclesiae doctrinam

despi-

despicerent, non audientes Ecclesiam docentem, quod eam iudicantem non cernerent. Ex quo contigit, ut praecipuas catholicae doctrinae veritates inter adiaphoras ponerent, easque nihil interesse ex Ecclesiae silentio colligerent. Quid sane frequentius hoc argumenti genere in libris casuistarum, atque eorum omnium, qui novis, ac peregrinis doctrinis delectantur? Quid eo potentius ad fucum faciendum incautis, qui facile sibi persuadent probabilitate sua non carere hominum commenta quantumvis absurda, & maxime dissita a veritate catholica, vel eo tantum nomine, quod de his sileat Ecclesia? Vix sane dici potest quot mala pepererit praeconcepta haec opinio, qua invicem confundi solent, quae maxime distincta sunt, & quae plurimum differre vel ipsa rerum natura, ac communis hominum sensus clarissime ostendit. Siquidem sententia iudicis controversiam, ac disputationem exortam supponit. Nam illa intercedit ad lites finien-

finiendas, ad componenda dissidia. Hinc si nulla exorta in Ecclesia fuisset super rebus fidei controversia, perrexisset Ecclesia doctrinam, quam accepit, exponere; sed cum nulla necessitas extitisset, nullum sane ipsa protulisset solemne iudicium.

III. Atque utinam nulla unquam existeret eiusmodi iudicandi necessitas! Id certe optat votis omnibus Ecclesia Christi, quae semper inculcat fidelibus suis, ut idipsum dicant omnes, ut omnes idipsum sapiant. Quare nihil magis opponitur Ecclesiae spiritui, quam studium de rebus fidei litigandi, ac disputandi; sed id sperandum non erat ab hominum indole, quos saepe aut ignorantia, aut novitatis amor, aut ambitio, aut alia quaevis cupiditas impellit vel ad veterem Ecclesiae doctrinam obscurandam novis cavillationibus, vel ad nova commenta excogitanda, eaque proponenda fidelibus sub specie antiquae doctrinae. Hinc & Apostolus praemonuit oportere haereses esse, cum fieri nequeat, ut

lu-

luxuriantia hominum ingenia debitis finibus contineantur, nec modum excedant insitae hominibus vitio naturae animi cupiditates. Tum lites oriuntur, disputationes, dissidia. Atque haec sunt nubilosa Ecclesiae tempora, quibus gemit Christi sponsa, quae pacem amat, ac unitatem ardentissime concupiscit: hae sunt tempestates, quibus navicula Ecclesiae iactatur. Haec quidem qui negat in Ecclesia saepe contingere, is ignoret necesse est Ecclesiae praesentis statum, hominum naturam & indolem, ac universam rerum hactenus gestarum historiam.

IV. Verum inter zizania, quae superseminat inimicus homo, pergit Ecclesia bonum semen ostendere fidelibus suis, digito veluti commonstrans in publicis fidei suae monumentis, quid inter hominum disputationes sit absque dubitatione tenendum, ac modum habet praeterea componendi dissidia, ac finiendi controversias exortas. Sedet enim in ipsa, divino instituto, iudex controversiarum nescius fallere, ac falli. Hoc tribunal

bunal Christus instituit, ne essent fideles veluti parvuli fluctuantes circumacti omni vento doctrinae, sed ut esset litium finis, & unitas fidei salva consisteret. Hoc solemni ipsius iudicio quaestio finitur; abiguntur tenebrae disputationum; tranquillitas redit. Huic aquiescere omnes debent, nisi velint haberi sicut ethnici, & publicani. Sed an soleat Ecclesia, statim ac error exoritur, continuo interponere iudicium suum: an expediat aliquando sententiam differre: an id licite possit, immo & debeat; id est, de quo disputatur. Quod si probavero, perspicuum fiet, quod sub initium proposui, errorem scilicet licite posse, immo & debere aliquando ab Ecclesia tolerari.

V. Ita enim Ecclesia se gerit in custodiendo fidei deposito, ut pro viribus suis tueatur vinculum pacis, & unitatis, cui vel ipsa fidei unitas, ut vidimus, ordinatur. Novit ipsa schisma malum esse omnium gravissimum, atque teterrimum,

omniaque patientissime tolerari magis oportere, quam ut eidem praebeatur occasio. Hinc aiebat Augustinus sermon. X. num. IV. *Pro veritate certemus, & expellamus hypocrisim tamquam falsam matrem... sed hoc faciamus defendentes, atque certantes non usque ad periculum divisionis.* Et in lib. de unitate Ecclesiae n. 28. *Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, ut contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant, sed si custodito unitatis, & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis, quod Apostolus ait; & siquid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit.* Ac demum in libro de vera religione num. 9. *Nam de iis*, inquit, *qui schismata fecerunt alia quaestio est. Posset enim eos area dominica usque ad tempus ultimae ventilationis veluti paleas sustinere, nisi vento superbiae nimia levitate cessissent, ac nisi sese ultro a nobis separassent.* Has christianae charitatis regulas semper prae oculis habuit

Eccle-

Ecclesia, atque ad eas suam semper agendi rationem exegit, ut ex historia ecclesiastica compertum est, cuius aliqua exempla paulo post referemus.

VI. ERGO prudentissime Ecclesia interdum suspendit iudicium suum, ut scite animadvertit Cl. Vir Petrus Tamburinus S. Th. Professor in Ticinensi Archigymnasio in opusculo, quod inscripsit *de summa catholicae de gratia Christi doctrinae praestantia, ac necessitate*; ac primo quidem, ut idem ait cap. 4., cum de rebus agitur, de quibus lata solemnis sententia non fuit, vel quae si definitae ab Ecclesia fuerunt, novis emergentibus erroribus multum sunt obscuratae, adeo ut penes multos dubia sit novae doctrinae falsitas, neque tam manifeste appareat illius pugna cum Ecclesiae doctrina, maxime vero cum numerum, atque potentiam eorum, qui novas opiniones tuentur, considerans Ecclesia veretur, ne si falsa doctrina damnetur, in partes scindatur, & in parte

praecisa remaneat insanabile vulnus erroris; tunc a solemni definitione etiam diu prudenter abstinet Ecclesia secundum christianae charitatis regulas, ne ipsa cogatur magnam fidelium suorum multitudinem e sinu suo excommunicatione rescindere. His in circumstantiis decretorium judicium Ecclesia suspendit, donec vel defervescente pugnantium ardore, ac veritatis luce sese paulatim dilatante, vel profanae novitates ipsae cadant, vel res finiri possit concordissima Ecclesiae auctoritate. Hoc facit sanitas pacis, inquit Augustinus contra Donatistas lib. 2. de Baptismo cap. 4., ut cum diutius aliqua obscuriora quaeruntur, ac propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte praecisa remaneat insanabile vulnus erroris. Hanc prudentem oeconomiam non semel adhibuisse Ecclesiam in damnandis erroribus, ut alia praeteream, perspicuum

spicuum facit Semipelagianorum exemplum; quorum errores Ecclesia confixit centum post annos ab Augustini obitu; intererat enim, ut observat Sirmondus in adnotationibus ad Concil. II. Arausicanum, intererat (inquam) Concilium illud ad haec potius tempora differri, idest ad annum 530. propter multos doctrina, ac pietate praestantes viros, qui spatio interiecto in Galliis visi sunt Semipelagianis favere. Quae sane principia ex indole Ecclesiae Christi desumpta, factisque probata applicat citat. Auctor Molinianae caussae, cuius absurditatem conantur plerique obtentu silentii Ecclesiae contegere.

VII. Nimirum Ecclesia curavit quidem, ac curat, ut vix natus error extinguatur, idque non semel per solemnem sententiam obtinuit. Sed non semper novitates quamprimum exscindi possunt. Immo hoc est novitatibus fere omnibus quasi gentile ac proprium, ut maximam hominum multitudinem una facile abducant.

Vix enim natae ob unius hominis cerebro maxima celeritate crescunt, propagantur, ac levium hominum animos, quorum ingens est numerus, secum abripiunt. Cum vero in Ecclesia Christi vera fidei doctrina deficere nequeat, hinc plures ex adverso avitae fidei tenacissimi ad novitatis conspectum reclamant, & antiquam doctrinam vindicant. Hinc duplex exsurgit hominum inter se se dimicantium genus, quorum alii pro novitate pugnant, alii patrum haereditatem tuentur. Nec raro contingit, ut ubi novitates maxime hominum cupiditatibus faveant, inveniantque patronos potentissimos ac callidissimos, maximum pro se fautorum numerum habeant, ac pusillum contradicentium gregem ludibrio, atque despectui exponant. In his circumstantiis quid restat columbae Christi, nisi dolor ac gemitus, ut loquitur Augustinus? Innuit ipsa fidelibus suis viam quam teneant: normam iis praebet, qua se tueri ab ingruente tentatione possint, ac viam veri-

tatis

tatis invenire. Per hanc secernere ii possunt multitudinem novitatis amore captam, ac iusto Dei iudicio sibi relictam ab eorum numero, qui antiquae doctrinae inhaerentes profanas humani ingenii novitates exagitant. Has vero regulas quibus facile haec discretio efficitur, videre quisque potest accuratissime explicatas ab eodem Clar. Auctore in sua, quam nuper edidit, analysi aurei Tertulliani libelli *de praescriptionibus*; quae quidem analysis cum furentium hostium impetu pene obrui videretur, victrix in dies emergit, ridetque insanos adversariorum conatus.

VIII. Huc solum addam aliqua exempla, quae ipse in sua dissertatione *de gratia* congessit ex historia ecclesiastica ad veritatem hanc confirmandam. Ac primo quidem, ait ille in adnot. subiecta pag. 47. edit. Florent., licet in controversia de librorum divinitus inspiratorum numero solemne iudicium Ecclesia diu suspenderit, ac fideles in varias sententias abeuntes in

sinu suo plurium saeculorum spatio toleraverit, in quam tamen propenderet sententiam, satis expressit. Nam Innocentius I., Carthaginiense Concilium, multique Patres auctoritate gravissimi integrum canonicorum librorum catalogum etiam multo antea texuerunt, quam in plenario Concilio res tandem solemni definitione declarata fuisset. Sic etiam in Quartadecimanorum caussa traditionis Apostolicae vindices extiterunt Romani Pontifices, donec res ultimo decisa fuerit in Concilio Nicaeno; & in caussa Rebaptizantium avitam doctrinam multi Episcopi cum Stephano Papa etiam ante propugnarunt, quam per plenarium Concilium solidaretur. In caussa Monothelitarum licet ad tempus suspensa, tamen adversus Sergium, Cyrum, Paulum, Honorium stetere S. Sophronius, summique Pontifices Honorii successores; & adversus iconoclastas Ecclesiae doctrinam proposuerunt, atque defenderunt Gregorius II., atque eo posteriores Episcopi Romani:

mani : in caussa demum Semipelagianorum veritas fidei validissimos patronos invenit Augustinum , eiusque fidissimos discipulos Prosperum , ac Fulgentium , summumque Pontificem Caelestinum . Quod etiam in multis aliis erroribus in Ecclesia pro temporum varietate exortis contigisse patet . Adeo verum est , quod ait Augustinus , Ecclesiam inter paleam , & zizania constitutam multa quidem multis de caussis tolerare ; quae tamen sunt contra fidem vel bonos mores , nec approbare , nec tacere , nec facere ; sed reclamatione summorum Ecclesiae Praesulum , ac doctissimorum Theologorum viam semper ostendere , qua fideles pergant , & caveant ab erroribus , & veritatem dignoscant .

IX. Hac agendi ratione Ecclesia consulit fidei deposito sibi commisso , ac simul consulit vinculo pacis , & unitatis . Consulit quidem fidei deposito , cum semper doceat fideles suos omnia cum fidei tum morum dogmata , ac inter disputationum

stre-

strepitus semper vocem pia mater attollat; quae facile a filiis auditur, qui sincero animi affectu parentem optimam diligunt, docilique corde veritatem sequuntur. Hinc in Ecclesia nunquam veritas deficit; sed eadem est domicilium, ac sedes veritatis, in eaque docentur, qui docibiles sunt. At parcit diu filiis carnalibus, cum aliquando solemne iudicium suspendit, ne vinculo pacis abrupto, schismati praebeatur occasio: portat diu filios errantes, portat docendos, ne plangat mortuos. Ita muneri suo omni ex parte Ecclesia satisfacit; atque in collisione officiorum eam partem amplectitur, quae neque ad dexteram, neque ad sinistram declinat, sed in medio consistit, in quo posita est virtus. Tenetur enim Ecclesia doctrinam a Christo acceptam tueri, eamque ab erroribus vindicare. Rursus tenetur curare quam maxime, ut vinculum permaneat unitatis, ac pacis. Haec duo munera sunt Ecclesiae curae concredita. At saepe contingit, ut

si ob

si ob unitatem doctrinae servandam errores per solemne iudicium velit exscindere, immineat periculum schismatis, ac ita dum unam plagam repellit, graviorem incurrat. Tum legibus prudentiae, ac charitatis obtemperans fidelibus suis non deest per instructionem, praedicationem, ac publicam fidei suae professionem, sed abstinet saepe a fulmine iaciendo decretorii iudicii, ne volens confodere errores homines perdat. Sic dum patientissime errorem tolerat, ne perdat errantes, quantum satis est, providet integritati, ac puritati doctrinae, ac simul abhorret a quorumdam immoderato, ac praecipiti animi zelo, quo ita adversus errores feruntur, ut religionis tuendae praetextu longe peioribus malis occasionem praebeant cum multorum salutis discrimine.

CAPUT

CAPUT V.

De agendi ratione, quam tenuit Ecclesia erga personas errantes.

I. SED videamus, qua ratione personas errantes consueverit Ecclesia tractare, quoniam in gratiam earum vel ipsos errores, ut vidimus, non semel toleravit. Hoc autem nihil aptius ostenditur, quam ecclesiasticarum rerum historia. Ex hac vero didicimus, qua lenitate animi, ac charitatis affectu se gesserit Ecclesia Christi erga errantes cum domesticos, tum extraneos. Ex innumeris, quae afferri possent exempla, proferam celebriora, eaque sumam ex prioribus Ecclesiae saeculis, quibus purior erat, ac recens ab Apostolis accepta eiusdem agendi norma. Immo ab Apostolis ipsis exordiar, eorumque exemplum sub oculos ponam in maxima de necessitate legalium inter Iudaeos, ac Gentiles excitata

tata

tata tunc temporis controversia. Duplex ab ipsius Ecclesiae exordio quaestio orta est. Nam qui ex iudaismo ad christianam religionem transibant, eo tenebantur errore, ut crederent Gentiles ad Evangelii gratiam non pertinere, nec eiusdem esse posse participes; vel saltem ad eam admitti non posse, nisi sese observationi legalium subiecissent. Primam erroris partem facile deposuerunt, cum viderunt dona Spiritus Sancti per miraculum etiam effundi super Gentiles. Sed diu perduravit altera erroris pars. Tenebantur enim antiquae legis amore, quam malebant novae coniungere, quam abolitam prorsus putare. Hinc synodus coacta est Hierosolymis, ut in unum Apostoli ac seniores congregati huic controversiae solemni iudicio finem imponerent. Agebatur enim de re gravissima cum ipsa religionis christianae natura coniuncta, ut constat ex epistolis Pauli ad Galatas. Decisa res fuit unanimi Apostolorum sententia, editumque celebre illud decretum:

visum

visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris praeter haec necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Quo sane decreto quoad rei substantiam definita fuit lis adversus Iudaeos tenaces caeremoniarum veteris legis. Nam generatim dixerat Petrus coram synodo, *imponendum non esse iugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*; ac S. Iacobus subiecerat, *non esse inquietandos eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum*; iacto generali principio per fidem, & gratiam Iesu Christi, non vero per legem iustitiam, ac salutem haberi. Quo satis constabat caeremoniarum legalium inutilitas, quam ut altius imprimeret fidelium mentibus, in suis epistolis inculcare nunquam desiit Apostolus Paulus.

II. Sed qua prudentia tum ipse, tum caeteri Apostoli, qua conniventia usi sunt adversus fratres errantes! Permissum fuerat iu-

Iudaeis aliquas caeremonias adhibere: iniunctum Gentilibus, ut saltem ad tempus abstinerent a sanguine, & suffocato; idque factum fuit, quemadmodum animadvertit Tillemontius *Memoires sur l' H. E.* &c. tom. 1., ut Gentiles legem honorare discerent, ab eaque sumeretur occasio coniungendi simul quodam veluti vinculo Iudaeos cum Gentilibus. Hanc prudentem oeconomiam adhibuerunt Apostoli, ut omnes Christo lucrifacerent. At debitum prudentiae modum excesserat Petrus, quoniam cum esset Antiochiae, & versaretur inter Gentiles, audito Iudaeorum adventu sese a Gentilium communione seiunxit, ut solis se iudaeis adiungeret. Hac enim agendi ratione occasio praeberi poterat credendi, vel Gentiles admitti non posse ad evangelii gratiam; vel eos teneri, ut ait Augustinus, ad iudaizandum. Quorum utrumque a synodo Apostolica damnatum fuerat. Hinc iure Paulus restitit in faciem Petro, quoniam reprehensibilis erat. Nam unitatis

ratio,

ratio, quae cogebat, ut indulgeretur Hebraeis aliter sentientibus, impedire quoque debuerat, ne a communione expellerentur Gentiles. Via ineunda erat, quae & veritatem Evangelicam tueretur, & Gentes cum Iudaeis ad vinculum unitatis perduceret. Hanc viam tenuit Apostolus Paulus, qui gentium saluti ita studuit, ut Hebraeos non offenderet, nec pro Iudaeorum salute gentes desereret. Hinc cum venisset Hierusalem, atque audivisset Iudaeos christianos *esse aemulatores legis* antiquae, atque erga ipsum male affectos esse, quod audierint *de ipso*, *quod discessionem doceret a Moise*, *dicens non debere Iudaeos circumcidi*, Iacobum consuluit, qui coacto suorum Presbyterorum concilio eum ad conniventiam adhortatus est inquiens: hoc ergo fac, quod tibi dicimus: sanctifica te cum illis; & impende in illis, ut radant capita: & scient omnes, quia quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Cui consilio

Apo-

Apostolus acquievit. Quare & seipsum purificavit, & Timotheum circumcidi permisit. *Je le fis* (ait Tillemontius pag. 227.) *je le fis circoncire à cause des Juifs du pays. Il étoit bien aise de leur faire voir, que s' il avoit refusé de circoncire Tite, pour montrer, que la Circoncision & les autres observances n' étoient pas nécessaires, il reconnoissoit qu' on pouvoit encore pratiquer sans crime jusqu' à ce que le tems les eû abolies peu-à-peu, à quoi le ruine de Jerusalem contribua extrémement. C' est par cette raison qu' il pratiqua en d' autres occasions ces cérémonies de la Loi. Il se faisoit tout à tous par une sagesse & une charité qu' on ne sauroit trop admirer, sans que dans une conduite qui paroit contraire à elle-même, on puisse trouver aucune ombre de deguisement & de mensonge. Une discrétion pleine de charité lui fit faire en ces rencontres pour l' utilité de la foi ce que l' utilité de la même foi l' avoit empêché de faire en d' autres. Il se faisoit*

Juif avec les Juifs pour les gagner à Jesus Christ, & il observoit la loi pour en abolir la servitude avec plus de facilité, & d' autorité, dans le tems & en la manière que le S. Esprit lui inspiroit. Quam animadversionem hauserat Tillemontius ex SS. PP. Augustino, Chrysostomo, & Gregorio.

III. Hunc charitatis ac lenitatis spiritum erga filios errantes haereditario quasi iure ab Apostolis accepit, & conservavit Ecclesia. Percurram aliqua exempla ex historia ecclesiastica, ut id quasi ad oculos pateat. Nascitur secundo saeculo altera quaestio inter Asiaticas, & inter alias catholici orbis Ecclesias. Celebrabant enim Asiatici Iudaeorum more festum Paschatis, luna scilicet decima quarta; caeterae vero Ecclesiae una cum Rom. Sede sequenti Dominica celebrandum iudicarunt; nec defuerunt inter veteres, qui hanc rem ad fidem pertinere opinarentur. Nihil erat, quod adversus aliarum Ecclesiarum usum male sumptam consuetudinem Asiaticorum

tue-

tueretur. Nihilominus quatuor sibi invicem succedentes Pontifices, Sixtus, Pius, Hyginus, Telesphorus, ea de caussa communionem rumpere noluerunt. Immo Anicetus S. Polycarpum tamquam legatum ab Asiaticis Ecclesiis missum, ut cum Summo Pontifice de hac re ageret, summa, qua fieri poterat, humanitate excipiens, eidem SS. Eucharistiae Sacramentum dedit, suique loco sacrum facere permisit, & cum osculo pacis, quamvis lite pendente, eundem sanctum legatum (ut Eusebius refert) dimisit. Alia quidem ratione se se gessit S. Victor. Vidit enim quatuor antecessores suos ultimam tulisse sententiam. Vidit omnes episcopos tam Orientis, quam Occidentis in eam conspirasse; atque eamdem Conciliorum fuisse. Quare cum cerneret Asiaticos ab ea disciplina recedere nolle; zelo abreptus sub excommunicationis poena eos cohibendos esse putavit. Vix huius rei certiores facti Asiatici synodum convocant, caussamque discutiunt, eorumque

nomine Polycrates Ephesiorum episcopus datis litteris nuntiat Pontifici Ecclesias Asiaticas non terreri minis, nec pati se dimoveri ab earum consuetudine. Quod cum accepisset Victor Pontifex, aegre tulit, & oblitus Apostolicae lenitatis, nec recordatus Paulum, ne rumperet unitatem, annuisse Nazaraeorum votis, eaque de caussa permisisse circumcidi Timotheum, iecit fulmen excommunicationis, quo tam insignes Ecclesias a sui communione seiunxit, illudque fulmen misit per totum orbem, ut lata ab ipso sententia aliorum episcoporum confirmaretur consensu. Quam dispar in eadem caussa agendi ratio! Lenitate, patientia utitur Anicetus, atque Polycarpo legato communionem tribuit. Reiicit Polycratem Victor, communionem denegat, separationem intimat. Quem ex his duobus dicemus secutum fuisse Ecclesiae spiritum? Id constabit ab exitu, quem habuit utriusque agendi ratio. Iam vero tantum abfuit, ut Ecclesia Victoris sententiam probaret, ut

potius

potius eam redarguerit. *Fuit*, inquit Eusebius lib. 5. hist. E. cap. 24., *condemnata haec agendi ratio ab episcopis*: idem testatum facit Hieronymus in catalogo sacrorum scriptorum; Sozomenus vero non erubescit haec scribere: *stultum, nec immerito, existimabant consuetudinum caussa a se invicem separari eos, qui in praecipuis religionis capitibus consentirent*. Socrates ipse lib. 5. c. 22. factum illud Victoris *excessum iracundiae vocat*. Immo vel ipse Baronius licet Victorem excusare conatus sit, dissimulare tamen non potuit *durum ac violentum visum esse multis*. Illud certum est undique episcopos ad eum misisse litteras paullo duriores; atque in eum coniecta fuisse, ut ait Eusebius, *episcoporum dicteria, ac sententias pungentes*. Gallicana vero Ecclesia cum caeteris studuit ad humanitatis, ac lenitatis sensus summum Pontificem revocare. Curavit quippe, sicut loquitur Eusebius, *ut ea potius sentire vellet, quae paci, & unitati, charitatique*

erga proximum congruebant. Quare & Irenaeum elegit, qui Gallicanae Ecclesiae nomine ad Victorem scriberet. Quod & praestitit gravissima epistola ad ipsum missa, qua, ut loquuntur Socrates, & Nicephorus, *acriorem eius impetum*, *facinus tam calidum graviter perstrinxit*, idque ut evidentius faceret, Summo Pontifici obiecit Praedecessorum suorum exemplum, *qui Ecclesiarum presbyteris* (Asiaticis) *qui id observabant*, *Eucharistiam transmiserunt*.

IV. Neque ad Victorem solum, sed etiam ad aliarum Ecclesiarum episcopos litteras dedit, ut unitatem ac pacem adversus praeceps Victoris iudicium tueretur. Qua in re tantum profecit, ut amoto periculo separationis, quam Pontifex tentaverat, pacem servarent dissidentes Ecclesiae, *tam iis*, *qui observabant*, *quam illis*, *qui minime observabant*, *pacem*, *communionemque totius Ecclesiae retinentibus*. Quo factum est successu temporis, ut defervescente pugnantium ardore, difficultates de-

demum explicatae fuerint, ac veritas ad liquidum pervenerit, ac ita *quod sermo non persuaserat*, ut ait Nicephorus, *id dies postea perfecerit*. Siquidem coactum est centum post annos generale concilium; quo demum omnes Ecclesiae in unam, & eamdem sententiam convenerunt, ac unam propterea eamdemque consuetudinem ubique adoptarunt. Hunc fructum peperit ůnitatis amor; hunc Ecclesiae lenitas; atque patientia. Sic vicit charitas Ecclesiae, quam in discrimen adduxerat immoderatus Victoris animi zelus.

V. Ne vero dicatur ita se Ecclesiam gessisse, quum de disciplinae capitibus quaestio esset, non autem cum de rebus fidei ageretur, exemplum afferam ex tertio saeculo sumptum, in quo utrumque rerum genus, disciplina scilicet ac fides coniungebatur. Id sane fuit in celeberrima S. Cypriani cum S. Stephano Papa de baptismo haereticorum controversia. Invenerat enim Cyprianus in Ecclesia sua con-

suetudinem rebaptizandi haereticos; cumque non adverteret eam fuisse ab Agrippino Praedecessore suo introductam, eam putabat ab Apostolico aevo derivatam fuisse. Stabat ex adverso Stephanus cum aliarum Ecclesiarum episcopis, editoque decreto praescripsit nihil innovandum esse nisi quod traditum est, ut scilicet haeretici redeuntes ad Ecclesiam cum impositione manuum reciperentur ad poenitentiam. Diu utrinque agitata fuit quaestio, atque eadem devoluta ad fidei principia. Putabant enim Africae episcopi nihil valere baptismum extra unitatem Ecclesiae collatum. Non valentes enim distinguere duplicem sacramenti effectum, vel unum cum altero confundentes sibi persuadere non poterant sanctificari hominem posse ab immundis, gratiam Spiritus Sancti extra Ecclesiam dari posse, & remissionem peccatorum accipi ab eo, qui membrum Christi non esset, nec insertum corpori Ecclesiae, in qua una iustitia reperitur, & salus. Huc

plu-

plurima referebant sacrarum litterarum testimonia : atque his tueri nitebantur veritatem traditionis , quam ipsi apostolicam putabant , sed quae revera erat corruptio traditionis apostolicae . Quare intelligitur disciplinae caput , de quo mota erat quaestio , pendere a fidei principio , ex quo illud fluere credebatur , ut liquet ex epistolis Cypriani, & ex decretis conciliorum, quae habita sunt ab Ecclesiis Africae , & Asiae . Unum afferam Augustini testimonium lib. VI. de baptismo , quo id confirmatur . „ Nec ob aliud (inquit) illis temporibus , quando ista quaestio contra utilem consuetudinem disputationibus salva charitate , atque unitate altercantibus discutiebatur , visum est quibusdam etiam egregiis viris antistibus Christi , inter quos praecipue beatus Cyprianus eminebat , non esse posse apud haereticos , vel schismaticos baptismum Christi , nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu , vel us Sacramenti , & quia eius effectus , atque

usus

usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud haereticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur „.

VI. Haec interim controversia tantis involuta tenebris tunc temporis agitabatur, ut inter utriusque partis momenta se quoque nutaturum fore dixerit Augustinus, nisi postea firmatus fuisset Ecclesiae concordissima auctoritate. Decretum quidem edidit Stephanus Papa, cui tot millia episcoporum consenserant. Sed huic non acquievit Cyprianus cum episcopis suis, quod crederet ex adverso stantes episcopos cum Pontifice in turpissimo errore versari, veram scilicet esse apud haereticos remissionem peccatorum, & consecutionem salutis extra unitatem Ecclesiae. Quod ipsi nimis absurdum, & sacrilegum videbatur. At paulo commotior Stephanus censuit excommunicandos esse rebaptizantes, ut testatur Augustinus de unico baptismo cap. XXV. Firmilianus vero scribit epistola 75.

inter

inter Cyprianicas, Stephanum *cum tot episcopis per totum mundum dissensisse, abscindere se a charitatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere*. Cyprianus ipse in epistola ad Pompeium sic Romanum Pontificem arguit. „ Dat honorem Deo, „ qui haereticorum amicus, & inimicus „ christianorum, Sacerdotes Dei veritatem „ Christi, & Ecclesiae unitatem tuentes „ abstinendos putat „ ? Immo Firmilianus in citata epistola narrat legatos episcopos *nec ad sermonem quidem colloquii communis a Stephano admissos fuisse, eumque praecepisse fraternitati universae, nequis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax, & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur*. Scio quosdam opinari haec Stephanum comminatum quidem fuisse adversus rebaptizantes, sed excommunicationem actu in eos non intorsisse. Nolo hanc quaestionem discutere; nec necessarium quidem esse puto. Id unum scio, abhorruisse hoc ab Ecclesiae spiritu;

eaque

eaque de caussa Dionysius Alexandrinus a sententia excommunicationis officiosis litteris removit S. Pontificem, interposita quoque opera Dionysii, ac Philemonis presbyterorum, quorum officia commendat, quod irritatum animum Stephani flexerint ad lenitatem. Scio Cyprianum aliosque episcopos cum ipso sentientes conquestos de Stephano fuisse, quod nimio zelo se abripi sineret, ac quaestionem usque ad periculum divisionis proveheret, ac ita adversus unitatis iura, ac regulas charitatis peccaret. Scio Augustinum summis laudibus pacatissimam animam Cypriani extulisse, quod licet Stephanus rebaptizantes excommunicandos esse censuerit, ipse tamen cum eo in unitatis pace permanserit, ut ait cap. 14. de unico baptismo. Oportebat enim obscurissimam controversiam, salva unitate, ac pace, agitari diutius, ut multis discussis ambagibus perspecta demum veritas plenario Concilio confirmaretur. Quod & factum est, quaecumque

de-

demum synodus fuerit, quam plenariam Augustinus vocat, sive Nicaena, sive Arelatensis: qua de re disputant eruditi. Illud certum est post magnos dubitationis fluctus rem demum ad plenarii Concilii confirmationem perductam esse; atque liti finiendae concordissima Ecclesiae auctoritate parasse viam unitatem, ac pacem, quam dum illa quaestio ageretur, dissidentes episcopi inter se servaverunt, ut saepe monet Augustinus. Adeo verum est in rebus controversis, ac nondum universae Ecclesiae auctoritate firmatis eum semper fuisse Ecclesiae spiritum, ut omnia prorsus tolerari oportere satius duxerit, quam periculum divisionis afferre. Hunc sane spiritum Apostolorum exemplo ut suum agnovit Ecclesia, eumque coluit in S. Irenaeo, in Dionysio Alexandrino, aliisque, de quibus sumus dicturi.

CAPUT

CAPUT VI.

Continuatio eiusdem argumenti.

I. VENIO ad saeculum quartum, quo diris tempestatibus iactata diu fuit Ecclesia, quas in ipsa excitavit praepotens, & callidissima Arianorum factio. Sed quoniam de Arianorum factione sermo est, quaedam de schismate Antiocheno, quod circa eadem tempora contigit, & ex eodem fonte profluxit, ac spatio LXXX. & amplius annorum Ecclesiam dire vexavit, dicere non praetermittam, cum multa in eo sint, quibus mire confirmatur, quod nobis propositum est. Incepit hoc schisma ab eo tempore, quo facta ab Arianis depositione S. Eustachii episcopi Antiocheni alius episcopus eidem subrogatus fuit. Ardentiores enim Antiochiae catholici, quorum caput erat S. Paulinus presbyter, ne viderentur Arianis assentiri, se se separarunt a communione

munione episcoporum, quorum electio fieret ab Arianis. Contra alia catholicorum pars illis episcopis adhaerebat. Hinc in duas partes scissa fuit Antiochena Ecclesia. Quae deinde divisio occidentalem & orientalem Ecclesiam pervasit, cum ab Arianis suffectus fuit S. Meletius vir egregie catholicus, & morum sanctitate clarissimus. Nam plurimi ad Meletium accesserunt. Sed Eustachiani, qui se vocabant, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus, *vindices legum, & patronos*, nullum episcopum Antiochiae volebant agnoscere, nisi quem ipsi elegissent. Hinc schisma auctum est, ac latius se se propagavit. Huius capita, Meletius scilicet, & Paulinus, sanctitate eminebant. Atque utrisque adhaerebant viri sanctitate percelebres. Nam Meletii quidem partes tuebantur sanctissimi viri Flavianus, Chrysostomus, Eusebius Samosatensis, Gregorius Nazianzenus, aliique orientis episcopi. Partes vero Paulini susceperant SS. Hieronymus, Athanasius, Epiphanius,

Da-

Damasus Papa, Ambrosius, caeterique antistites occidentis. Utraque pars se se a communione seiunxerat: nam orientales non communicabant cum Paulino, neque cum Meletio occidentales: sese accusabant ad invicem. Apud hos suspicione laborabat Meletii fides; apud illos fides Paulini. Hinc Arianismi; illinc Sabellianismi nota inurebatur. Sic viri egregie catholici adversus se invicem velut inimici litigabant, ac interim diro schismate dilanabiantur viscera piae matris Ecclesiae.

II. Super his ingemuerant fidissimi ipsius filii, ac imprimis S. Basilius, qui nihil intentatum reliquit, ut pacem Ecclesiae redderet. Hinc plures scripsit epistolas ad Patriarcham Alexandrinum, ad Romanum Episcopum, maxime vero ad Athanasium, cuius prudentia, probitas, atque in negotiis pertractandis dexteritas sibi perspecta fuerat. Eum orat, & obtestatur, ut tam diuturnae dissensioni finem imponat; utque id facilius assequatur,

eum

eum monet, ut sepositis privatis caussis de fidei summa unice sit sollicitus; ut fratrum doctrinam exploret, eosque in unitate fidei coniungat; ac ubi compererit dissidentes in fide convenire, reliqua omnia negligat, ac praetergrediatur, ut pacem Ecclesiae restituat. Fatetur se adhaerere Meletii partibus; sed simul profitetur *aliquod temperamentum adhiberi necessarium, & utile esse, quod & illis conveniat, & pacificet populum*: monet, ut *qui circa fidem veram claudicant*, curet ille, *ut manifesti omnibus fiant, ita ut deinceps eos, qui idem ac nos sentiunt, agnoscamus, nec iam velut in nocturna pugna nullum sit amicorum, & inimicorum discrimen .... ut eos, qui eadem sentiunt, omni ratione ad coniunctionem compellat, etiamsi non nullos reperiat, qui privatas quasdam discordiarum inter se caussas habent, ne populus orthodoxus multas in partes scindatur. Studium enim in eo ponendum est, ut paci posthabeantur omnia, ne sana Ecclesiae pars circa per-*

 sonas

sonas scissa debilitetur. Haec Athanasio proponebat Basilius, cuius aequissimis monitis ille acquievit, atque ad ea suam agendi rationem exegit pro Ecclesiarum pace conciliandа. Qua quidem ratione utique pax restituta fuisset. Sed, ut loquitur S. Basilius, *malitia consiliariorum dilata fuit in aliud tempus eorum coniunctio. Utinam*, clamat ipse, *auditi illi non fuissent*! fugit nimirum e manibus optima occasio; atque Athanasio defuncto, diuturnitate temporis schisma inveteravit.

III. Quod Athanasius perficere dicta de caussa non potuit, facere aggressus est Lucifer Calaritanus. Sed hic, ut pote fervidioris ingenii, parum idoneus, aptusque erat ad Ecclesiae negotia tractanda. Nam qui haec gerunt, esse debent, ut ait Basilius, *prudentia potentes; ad videndum quid deceat acuti; ad perficienda, quae prosunt, efficaces; ad dolendum ex fratrum afflictione propensi ... conciliantes contraria, ac divulsa coniungentes ... qui non*

immit-

immittant Ecclesiis schismata, *sed eos*, *qui eadem sentiunt*, *omni ratione ad coniunctionem compellant*. Quod sane a Lucifero Calaritano expectari non poterat, cuius ingenium erat praefervidum, & animus tenacissimus, & inflexibilis. Et re quidem vera ipse Antiochiam profectus, cum nihil pro pace ineunda proficeret, intempestivo zelo accensus malum auxit, & gravius illius Ecclesiae vulnus effecit, quoniam Paulinuum presbyterum ad episcopatum evexit; quo factum est, ut Antiochena Ecclesia duos simul episcopos habuerit, ac ita schisma vires, & incrementum acceperit. Nam magis exacerbati sunt Meletianorum animi, quod episcopum Lucifer Paulinum creasset, qui omnium infensissimus fuerat eorum hostis. Ipse longe recesserat ab ea, quam Athanasius tenuit, conciliandae pacis via, quae sola poterat divisionem tollere, animosque coniungere; ut scilicet nihil ageretur de privatis partium studiis, atque quaestionibus, sed tantum

de doctrina fidei inquisitio fieret, quae ubi ex utraque parte pura apparuisset, paullatim quoque dissidentium animos inter se conciliasset. Hanc regulam pacis sequestris dederat synodus Alexandrina. *Omnes*, ait illa, *qui vobiscum pacifice agere volunt, recipite, nihilque amplius ab illis exigatis, quam ut exsecrentur Arianorum haeresim, & confiteantur Sanctorum Patrum in Nicaena synodo fidem... Quod si ita fiat, omnis apud omnes suspicio mala delebitur, & sola catholicae Ecclesiae fides pura apparebit*. Huic regulae ut inhaereant, enixe commendat synodus, neque ut quidpiam aliud efflagitent, cohortatur & obsecrat. *Visum est nobis vos cohortari, ut sub istis conditionibus ineatur concordia, ita ut nihil ulterius quam praedictum est, vel illi, qui ex veteri Ecclesia sunt, a vobis flagitent; vel illi, qui cum Paulino sunt, aliud praeterquam quod inter Concilii Nicaeni decreta reperitur, adiiciant*. Monet deinceps, ut negligant omnes quae-

stiones,

stiones, quae ad fidem non attinent? *Ne ulterior*, ait, *ulla inter vos adhibeatur disquisitio*, *neve verborum pugnis studeatis ad nullam prorsus utilitatem ... Si qui vero contentiose rixantur*, *& quidpiam aliud praeter quam quod Niceae scriptum est*, *requirunt*, hos compescendos esse praescribit, *tamquam turbulentos*, *inimicos*, *& discordiarum*, *& schismatum aemulatores*. In id unum vult omnia studia conferri; caetera vero tempori reservari, quo divinae providentiae placuerit exacerbatos animos linire, omnesque sub uno Antiochenae Ecclesiae Pastore redigere. *Forsitan*, inquit, *misertus nostri Dominus coaptabit*, *quae sunt hiulca*, *& divisa*, *atque unum ovile rursus formabit*.

IV. Has prudentiae, ac vere episcopalis charitatis refertas regulas exhibuerat synodus Alexandrina. Sed nondum tempus advenerat, quo placitum erat Deo pacem Ecclesiae reddere. Pluries quidem tentatum id fuit: sed acerbius ac pertinacius schisma

factum fuerat. Impensius quam par erat Paulini partibus occidentales Episcopi favebant. Hinc acrius ex adverso stabant orientales. Instabat pro pace Basilius eam quam ab initio proposuerat rationem agendi constanter sectatus. Ut occidentalium animos emolliret, eosque adduceret ad communionem cum dissidentibus fratribus, epistolas scripsit ad Damasum Papam. At Romani mitissimis Basilii consiliis nolebant acquiescere: vindices erant acerrimi caussae Paulini. Qua de re vehementer conqueritur Basilius, eorumque duritie commotus aiebat: *neque illos de rebus nostris vera nosse; neque viam, qua addiscere possint, amplecti*. Iam pene de pace concilianda spem omnem abiecerat, vel saltem in sola Dei misericordia eam collocabat; hinc humana remedia velut inutilia existimans nihil reliquum esse dicebat, nisi ut preces apud Deum funderentur. Adeo Romanorum saevitia eum deiecerat, ut scriberet nihil ab ipsis esse expectandum, & quamvis amore

pacis

pacis incensus negotiationem cum occidentalibus non interrumperet, nihil tamen boni ab ipsis sperabat. *Si nobis*, ait, *placetur Dominus*, *quonam alio adminiculo indigemus? si autem perseverat ira Dei; quale nobis praesidium supercilii occidentalis?* cumque S. Epiphanius eum rogaret ne ab incepto resiliret, sed pergeret urgere pacis consilia, respondit se a solo Deo tanti mali remedium expectare; se non renuere iterum iterumque pacem tractare; sed *illud*, addit, *pacifico animo tuo dignum fuerit*, *non unum quidem coniungere*, *aliud vero disiungere*, *sed ad eam coniunctionem*, *quae prior extitit*, *ea quae sunt separata reducere*. Nec enim putabat ad veram, ac dignam Ecclesia Christi pacem conducere ita uni parti favere, eamque erigere, ut altera vinceretur, & oppressa iaceret. *Exhortare*, inquiebat, *ut proiecta ex animis ambitione inter se reconcilientur*. Quo sane non spectabat Romanorum consilium, ac ideo

 cla-

clamabat. *Tantum precare, ut Dominus non tradat nos in perpetuum inimicis crucis Christi; sed custodiat Ecclesias suas usque ad tempus pacis, quam novit ipse iustus iudex, quando sit redditurus.*

V. Revera mortuus est S. Basilius, antequam pax iniretur, sopitum quidem aliquando schisma fuit, mutua facta inter Meletium, & Paulinum pactione, ut alterutro defuncto, qui superstes esset, Antiochenam Ecclesiam solus regeret. Sed interea Concilium indicitur Constantinopolitanum oecum II. Huic praeerat vel ipse Meletius vir mitissimi ingenii. Fideles omnes in eam synodum oculos intenti tenebant, ab eaque iamdiu concupitam Ecclesiarum concordiam expectabant. Sed multum fefellit spes. Inde enim schismaticis incendium magis magisque succrevit. Nam dum agebatur synodus, moritur Meletius, ac ubi eius morte lis finiri debuisset, acrior effecta est. Nam iuniores episcopi, qui synodo intererant, quos S. Gregorius Na-

Nazianzenus viros appellat *turbulentos*, *&* *improbos*, ambitione ducti, ne occidentalibus cedere viderentur, alium episcopum, Flavianum nempe, Meletii loco sufficere voluerunt. *Secutus est*, ut inquit Gregorius, *coetus senum motus iuventae fervidos, quos par erat fraenare*; ac ita communi consensu Flavianus electus fuit. Hinc dissidium magis exarsit. Occidentales enim episcopi adversus eam electionem vehementissime conclamarunt. Paulinus vero ea de caussa exacerbatus novum sibi successorem delegit, & contra canonum dispositionem Evagrium episcopum ordinavit. Tum pia mater Ecclesia novis iactata procellis vehementer dolebat, quod ab eius spiritu tam longe filii sui recederent. Hunc secutus Gregorius, qui post mortem Meletii synodo praesidebat, viribus omnibus studuit eam a suscepto consilio revocare, habuitque coram ipsa longam ac pacem ubique spirantem orationem. Obstitit quantum potuit ausibus iuniorum, & caussam Ec-

clesiae

clesiae peroravit. *Orbis procellis*, aiebat, *sit modus tandem rogo. Miserescat horum, quaeso, qui schismate cecidere, quique iam labant & posterum. In hoc periculo sancta iam nostra est sita fides, vel ut sit salva adhuc & floreat, vel factiones ut per has prorsus cadat. Cedamus ipsi paullulum, palma amplior hinc ut paretur. Superare non fert rebus in cunctis decus*. His aliisque rationibus orientalium animos lenire moliebatur Gregorius, qui vota Ecclesiae, eiusque spiritum probe noverat. Sed cum se irrito frangi labore intelligeret; maluit episcopatum dimittere, quam synodi deliberationi assensum praebere.

VI. Sed iam praevaluerat fervidorum episcoporum votum. Meletio suffectus est Flavianus: in successorem Paulini electus Evagrius. Hinc novae turbae excitatae, magisque a se invicem dissiti facti sunt animi dissidentium. Atque hoc dissidium fortasse perenniter orientem ab occidente divisisset, nisi Ambrosii consilio ac sapientia synodus

Ca-

Capuana provinciam hanc demandasset Theophilo Patriarchae Alexandrino, atque Aegyptiis episcopis, qui nullo partium studio ducebantur. Theophilus enim fultus consiliis ac monitis S. Ambrosii, quae eadem erant ac illa, quae Basilius, & Gregorius inutiliter dederant, rem bene composuit. Nam primo e re Ecclesiae esse duxit, ut ob bonum publicae pacis Flavianus communione donaretur. Mortuo vero Evagrio, suasit Paulinianis, ut a novo episcopo subrogando abstinerent. Ita lis finita fuit. Nam solus Antiochiae episcopus mansit Flavianus, cui paulatim etiam illi accesserunt, qui Paulino adhaeserant, Paulo post S. Chrysostomus, cum renuntiatus esset episcopus, Basilii vestigiis insistens sollicite curavit, ut suspiciones omnes, quae ex utraque parte ortae erant circa fidei doctrinam omnino deleret. Tum usus opera Theophili Alexandrini Romanum episcopum Flaviano reconciliavit; ac ita demum penitus extinctum fuit nonaginta pene annorum

rum

rum dissidium, quo Ecclesia Christi miserè discerpta fuit. Quod quidem fusius fortasse quam par erat, exposui; sed facti non poenitet; quoniam ex huius expositione facile intelligitur, quinam fuerit pro dissidiis componendis Ecclesiae spiritus; qui eum secuti sint, & qui ab eodem recesserint; quod unum potissimum nobis propositum est. Hîc unum veluti transiens animadverto, licet Damasus Papa cum occidentalibus se se communione separasset a Meletianis, ac isti vicissim a communione occidentis, id tamen nihil derogasse virorum sanctitati, ac famae, qua in Ecclesia Christi claruerunt, & clarent, qui vel principes schismatis fuerant, vel alterutrì parti adhaeserant. Siquidem licet una Ecclesiae pars adversus alteram pugnaret, atque a mutua se Ecclesiastica communione seiungeret, utraque tamen in unitate perstabat, quoniam utramque Ecclesia Christi patientissime tolerabat. Quare defuit, ut animadvertit Petrus Nicolius, unitatis Ec-

clesiae

clesiae iudicium, in qua una sita est vis separandi a communione totius Ecclesiae. Qua quidem animadversione facile res explicatur, ac longe verius, quam faciat Clar. vir Ballerinus, qui ut labentem opinionem tueatur, maluit adversus historiae fidem comminisci actum in eo schismate fuisse non de separatione ecclesiastica, sed de suspensione officiorum mutuae benevolentiae & amicitiae.

CAPUT

CAPUT VII.

Continuatio eiusdem argumenti.

I. Hoc etiam saeculo exarsit dissidium diuturnum ac grave de Origenis erroribus. Nihil fortasse in rebus Ecclesiae gestis hoc dissidio solemnius. Sanctissimi viri aeque ac doctissimi inter se disputabant. Nec enim loquor de iis monachis, qui Origenem tuebantur, quod eius erroribus adhaererent. Loquor de catholicis viris, quorum cum singuli errores Origeni tributos exsecrarentur, alii personam, famam, ac libros Origenis ab iis vindicabant, rati errata, quorum accusabatur Origenes, intrusa in eius operibus fuisse dolo, ac malitia haereticorum, ut se tanti viri auctoritate tegerent; alii contra Origenem ipsum damnabant tamquam reum erratorum, quorum referta erant eius opera. De hac re acerrime pugnatum est a

SS.

SS. Hieronymo, & Epiphanio cum Ioanne Hierosolymitano, & Rufino; tum a Theophilo Alexandrino adversus Aegypti monachos, qui *fratres longi* dicebantur, eiusque discipulos, qui variis propterea calamitatibus vexati fuere, atque e suis monasteriis extrusi, quod Origenis damnationi nollent subscribere. Vel ipse S. Ioannes Chrysostomus e sede sua deiectus fuit, quod miseratione commotus eos monachos Constantinopoli benigne excepisset. Hinc plura celebrata Concilia; nec semel adhibita Imperatorum opera, ut tantum incendium extingueretur, quod totum pene orientem combusserat, nec parum occidentem turbaverat.

II. Interea tam ingens malum dolebat Ecclesia, eoque vehementius, quod intelligeret e levissima caussa tam gravia mala profluere. Nec enim de fide agebatur, in qua utrinque disceptantes catholici plenissime conveniebant; sed de facto agebatur, quod nihil christianae reipublicae

inte-

intererat . Quid enim rei christianae interesse poterat , an revera Origenes reus esset errorum , quorum accusabatur , cum utraque pars in iis damnandis consentiret . Cum fides esset in tuto , quid emolumenti religio capiebat , quod Origenes haereticus , vel non haereticus probaretur ! Sed inter disputationum aestum evanuit ab oculis verus quaestionis scopus ; nec inde orta partium studia sinebant controversiam ad eius vera principia reducere . Hinc acriter disceptabatur , quasi de fidei summa ageretur . Id tamen acutius viderunt vel ea aetate oculatiores viri . Quare Sulpitius Severus eas disputationes vocabat *foeda certamina , ex studiis partium ortam seditionem* . Querebatur , quod tot synodorum decretis utilium librorum lectio prohiberetur ob errores , qui in iis permixti erant , & quos facile erat internoscere . Aiebat tot turbines excitari ob quorumdam episcoporum obstinatum animum , *qui pro potestate cogebant recta cum pravis , &*

cum

eum ipso auctore damnare; nec ferre poterat tot tantosque viros ea de caussa vexari. Nam *etsi*, ait, *fortasse videantur parere episcopis debuisse, non ob hanc tamen caussam multitudinem tantam sub Christi confessione viventem praesertim ab episcopis oportuisset affligi.*

III. Id novit Ecclesia Christi, quae propterea filiorum suorum dissidium patientissime tulit, ac litem finiendam tempori reservavit. Quod & reapse contigit. Nam & Epiphanius, ac vel ipse Theophilus, qui tam acriter Aegypti monachos insectabantur, cum advenissent Constantinopolim, excepta eorum monachorum fidei professione, pacem cum illis inierunt, ac libentissime communicarunt; nec in posterum ab Origenis libris legendis Theophilus abstinuit, quorum lectionem in synodis suis severissime prohibuerat; sed ex iis colligenda esse dixit meliora, relictis pravis, & erroneis opinionibus. Quo demum, teste Sulpitio, spectabat monachorum consilium,

silium, quod, saeviente pugna, Theophilus, aliique cum ipso sentientes exhorruerunt. Ita paulatim quievit gravis illa tempestas, qua iactabatur Ecclesia, ac demum res eo devenerunt, quo eas nunc esse conspicimus, ut nempe damnatis erroribus, quorum Origenes accusatur, cuique liberum sit eius opera perlustrare, ac Origenis personam & nomen ab impactis erroribus vindicare. Ubi nimirum pugnantium ardor deferbuit, semper consuevit Ecclesiae spiritus reviviscere, ac ita fidelium animos mutua pace coniungere, abiectis demum dubitationibus, suspicionibus, explicatisque quaestionum ambagibus. Qui sane fructus unice expectari potest ab Ecclesiae patientia, ac longanimitate, qua dissidentes filios solet in sinu suo tolerare.

IV. Idem profecto spiritus se prodidit in alio dissidio, quod excitavit inter orientem, & occidentem deiectio S. Chrysostomi e sede sua episcopali, cuius nuper meminimus. Is enim, instigante potissimum

Eudo-

Eudoxia, depositus fuerat in synodo ad Quercum a Theophilo Alexandrino, aliisque episcopis Chrysostomo maxime infensis. Obstiterunt huic depositioni occidentales episcopi: orientales vero Chrysostomum deseruere, eiusque nomen e diptychis deleri passi sunt. Quid in his tempestatum motibus egit Ecclesia? Id discite ab iis, qui Ecclesiae spiritu instructi maxime erant. Palladius episcopus petiit a Chrysostomo, quid sibi agendum esset in ea temporum calamitate? an scilicet communicare sibi fas esset cum episcopis, qui iniuste eum deposuerant? Ei vero respondit Chrysostomus, nihil magis cavendum, quam divisionis periculum. Quare inquiebat: *communicate quidem, ne scindatis Ecclesiam. Verum nolite subscribere: nihil enim mihi conscius sum, propter quod deponi, aut deiici merear*. Ab hoc iniustitiae crimine abstinendos eos iubet; sed omnia magis tolerari oportere docet, quam schismati occasionem praebere. Id etiam sensit Inno-

centius Pontifex, ad quem Chrysostomus confugerat. Litteras enim dedit cum ad Chrysostomum, tum ad Theophilum, atque utrique significavit se damnare quidem tamquam iniustam sententiam latam in synodo ad Quercum; at non propterea se velle ab alterutrius communione seiungere, donec synodus cogeretur, qua lis concordi Ecclesiae auctoritate finiri possit. *Sed quid*, ait Pontifex, *adversus ista in praesenti faciemus? necessaria est cognitio synodi .... haec enim sola est, quae huiusmodi tempestatum motus sedare possit ... omnia, quae nunc ad fidelium probationem conturbata sunt, pacabuntur. Sustineamus igitur aliquantisper, & vallo patientiae muniti cuncta auxilio Dei nostri restituenda esse speremus*. Sic Ecclesia solet in his circumstantiis unitatis vinculum cum iuribus aequitatis, ac veritatis componere. Hac sane ratione successu temporis etiam absque convocatione synodi res compositae fuerunt. Nam post obitum Chrysostomi,

ac

ac Theophili, Alexander primum nomen Chrysostomi diptychis reddidit; deinde Atticus, qui Patriarchatum Constantinopolitanum post intrusum Arsacium obtinuerat, idem praestitit monitus a Theodosio iuniore, ut pacis bonum omnibus anteponeret, maxime cum nihil aliud ageretur, quam ut defuncti viri nomen inscriberet. Idem vero Atticus impulit Cyrillum Alexandrinum Theophili nepotem, & successorem, qui primum eius partes tuebatur, ut e diptychis Arsacii nomen expungeret, eiusque loco nomen Chrysostomi subrogaret; ac ita demum Ecclesiis reddita pax fuit.

V. Notissimum pariter est, qua animi moderatione se gesserit ob pacis amorem Cyrillus in caussa Nestorii, quae acerrimum inter orientales, & occidentales episcopos dissidium peperit. Qua quidem in re, cum maxima extiterint huius, de qua loquimur, moderationis exempla, iuvabit paulisper in hac immorari. Iam exploratum est ex universa rerum gestarum histo-

historia illud familiare haeresibus esse, ut vocabulis ac formulis utantur, quae videntur ad catholicam doctrinam accedere. Horrent enim & ipsae catholicorum exsecrationem, quam ut declinent, catholicismum redolere nituntur. Conantur praeterea vindices verae fidei in suspicionem vocare; cumque passim videantur oppugnatores errorum in aliud extremum incidere, consueverunt semper haeresum patroni, ut invidiam catholicis crearent, oppositi erroris notam adversariis suis impingere. Hac enim agendi ratione catholicorum fama in discrimen adducitur; augetur obscuritas; fideli populo illuditur inani quodam haeresis simulacro; malus error specie defendendae veritatis obtegitur; scinduntur fideles in varias partes, ac studia partium foventur, ac interim haeresis propagatur, ac crescit. Tot pene sunt in ecclesiastica historia huius rei monumenta, quot haereses extiterunt. Iam nuper vidimus hanc artem adhibitam ab

Aria-

Arianis, qui cum hostibus suis Sabellianismi notam inurerent, maximam episcoporum multitudinem fraudulenter ad se eo titulo pertraxerunt. Idem quoque contigit in caussa Nestorii. Vix palam facto Nestorii errore de duplici in Christo persona, iecit in ipsum XII. anathemathismos S. Cyrillus episcopus Alexandrinus. Orientales episcopi, inter quos eminebat Ioannes Antiochenus, Nestorii personae favebant, licet ipsius impietatem exsecrarentur. Vix lectis Cyrilli capitulis magnum incendium exarsit. Impacta est Cyrillo oppositi erroris suspicio, quae Nestorianorum artibus inter orientales percrebuit. Id visum est etiam Ioanni, caeterisque episcopis suis, qui in Cyrilli capitulis ita unitatem personae in Christo adstrui putabant, ut una natura in eodem poneretur, ac ita denuo excitaretur haeresis Apollinaris, qui non ita pridem duarum in Christo naturarum permixtionem docuerat. Hinc ex utraque parte dissidia, suspiciones, accusationes

In se invicem factae sunt. Nestorianismus Orientalibus, Apollinarismus occidentalibus imputabatur. Cum essent utrique catholici, ut animadvertit Agobardus episcopus Lugdunensis, utrique putabant se adversus haereticos agere. Pro veritate fidei pugnabat S. Cyrillus, & adversus ipsum pro eiusdem fidei veritate motus ab aliis episcopis scripserat Theodoretus. Catholici adversus catholicos velut haeretici adversus haereticos disceptabant.

VI. Ut res componeretur, coacta est Ephesi synodus episcoporum. Sed nova inde mala orta sunt, unde remedium expectari debuisset. Illuc appulerat Cyrillus cum suis numero 200. episcopis: sed itinerum difficultate moram passus Ioannes Antiochenus cum orientalibus nondum pervenire potuerat: monuit ipse synodum se adventurum paucos post dies, oravitque, ut nihil interea decerneretur. Sed iam suspiciones animos occupaverant. Cogitur synodus; Nestorii error solemni decreto pro-

proscribitur, ac Sancti Cyrilli anathematismi Patrum auctoritate probantur; cumque Nestorius iam declarasset se irritum habere, quidquid egisset synodus, non expectatis ex oriente episcopis, conciliari iudicio e sede sua deiectus fuit. Advenit post duos dies Ioannes cum suis, cumque invenisset totum peractum esse, non expectato ipsius adventu, mirum in modum excanduit. Hinc dissidia aucta sunt, mutuis erroris suspicionibus auctis. Nam Ioannes synodum & ipse coegit, deposuitque Cyrillum, atque episcopum Ephesinum; ac se separavit a communione aliorum episcoporum, quamdiu non dixissent anathema capitulis Cyrillianis, quorum approbatione probatum a synodo fuisse errorem Apollinaris existimabat; atque haec omnia iteravit ad sua reversus indicto episcoporum numero plurium Concilio. Sic magis crevit confusio, ac divisionis periculum.

VII.

VII. Ut huic obviam iret Theodosius iunior, consilium suscepit christiano Principe vere dignum. Adscivit viros prudentia, moderatione animi, ac pacis amore praestantes, iisque demandavit, ut modum inquirerent, quo lis finiri posset, ac ita pax Ecclesiae restitui. Inter selectos viros eminuit Maximianus Patriarcha Constantinopolitanus, qui Nestorio suffectus fuerat. In id ergo illustrium virorum animi intenti; multa diu cogitata; ac tandem ea ratio caeteris praelata est, quae quovis tempore restituendae episcoporum concordiae aptissima fuit. Sepositis scilicet incidentibus quaestionibus, summa fidei prae oculis habita est. Hinc decretum, silentio praetereundos esse anathemathismos Cyrilli, qui malam orientalibus suspicionem ingesserant, ac simul eorum probationem a synodo factam; idque petendum ab occidentalibus, ut pro bono pacis assentirentur: exigendum vero ab orientalibus, ut propriam fidem exponerent, ac

sto-

Nestorium, eiusque impiam doctrinam damnarent. Res felicissimum exitum habuit. Nihil actum de Cyrilli capitulis, dum pax tractaretur. Edidit Ioannes fidei professionem, qua tam Nestorii, quam Apollinaris haeresis ex aequo condemnaretur, eamque ad se missam libentissime Cyrillus probavit. His vero peractis gavisi mutuo sunt catholici antistites, quod in fidei doctrina egregie convenirent, cum antea a se longe distare opinarentur. Hinc dissipatis suspicionibus finita lis fuit, ac inita episcoporum concordia, quae vel diu dilata, vel nunquam fortasse sancita fuisset, si delegati viri Cyrilli capitulis, vel auctoritati synodi institissent. Non defuerunt quidem, ut accepimus ex Liberato, qui ardentiori quam par est animi zelo commoti, Ioannem Antiochenum carpere non dubitabant, quod nimis facile cessisset, neque a Cyrillo petiisset ipsius capitulorum condemnationem; quemadmodum etiam ex occidentalibus intemperantiores quidam Cy-

rillo

rillo obtrectabant, quod suorum capitulorum subscriptionem a Ioanne prius non postulasset, quam cum illo pacem iniret. Sed hoc hominum genus pugnare quidem valet pro veritate; sed paci conciliandae ineptissimum est. Hoc enim officium non tam animi ardorem pro veritate tuenda; quam pacatissimam animam, ac iudicii moderationem, maximamque rerum discretionem, ac prudentiam postulat: quae sane dona paucorum hominum sunt, cum longe facilius sit in aciem descendere, cum hostibus congredi, eosque expugnare, quam litem componere, animosque lenire, ac rationem detegere, qua sine detrimento veritatis modus ponatur litibus, ac dissidentes partes ad concordiam revocentur. Id obtinuit Maximianus Patriarcha, omniaque ipsius dexteritate ac prudentia brevi composita sunt. Siquidem pacatis animis, & caussa finita potuit successu temporis Cyrillus anathemathismos suos ab omni labe purgare. Quo factum est, ut paulatim

fide-

fideles omnes & capitula S. Cyrilli; & eorum elogium a synodo Ephesina latum libenter admiserint; nullaque super his controversia, aut suspicio demum remanserit. Hunc fructum patientia peperit. Quare & Sixtus III. Pontifex sibi post pacem initam gratulatus est nihil se in hoc negotio egisse praecoquum, sed tulisse patientissime discordias, ac dissidentes fratres, certo sperans fore, ut exitus demonstraret non ita agendum esse cum ipsis, quasi spinae essent ab agro Domini evellendae, sed potius ut vinea pretiosa, quam conservari opus esset. Utinam haec Patrum dicta omnium mentibus infigerentur!

VIII. Hisce quoque temporibus inserenda est Semipelagianorum historia. De hac aliqua diximus cap. 3., ubi de tolerantia errorum agebamus. Hic addere lubet, quae personarum tolerantiam propius respiciunt. Quamvis enim Ecclesia per os Doctorum suorum, atque Pontificum

ficum Semipelagianam haeresim ubique refelleret, eiusque virus fidelium oculis, ut ab eo caverent, exponeret, diutissime tamen errantes filios charitatis affectu complexa est. Hanc moderationem Augustinus servavit. *Mihi videor*, inquit lib. de praedest. Sanct. cap. I., *eos fratres eo modo esse tractandos, quo tractavit Apostolus, quibus ait: & siquid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*. Errorem quidem acerrime redarguebat, sed errantes fraterno charitatis vinculo tractabat. *Impendamus*, ait, *eis dilectionis affectum, ministeriumque sermonis*. Hoc scilicet, ut si fieri possit, ab errore revocentur; illum vero, ne scindamus Ecclesiam. Eamdem regulam statuit S. Prosper, cum adversus eosdem ostenderet, *eos & vana obiicere & recta impugnare, & prava defendere peremptorum armis bellum intestinum moventes;* haec tamen non obstabant, quominus haec de personis adderet: *quorum dum adhuc non*

sunt

sunt a fraterna societate divisi, *toleranda magis est intentio*, *quam desperanda correctio*. Eadem regula invenitur in epistola synodica episcoporum Sardiniae, in qua dicitur: *tenentes veram fidem exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem*. Quae quidem charitas impensa fuit diutissime: nam licet Ecclesia per centum & amplius annos fideles suos instruere non desineret, veramque doctrinam adversus serpentes errores proponeret, atque ad ipsius defensionem excitaret episcopos, & negligentes argueret, personis tamen errantibus semper pepercit; nec nisi post obitum celebriorum haeresis auctorum finita lis fuit in synodo Arausicana. Ex quo intelligere quisque potest veram, quam semper tenuit Ecclesia, & veritatis tuendae, & unitatis servandae rationem, a qua tantopere abhorrent plerique Theologorum, qui nihil magis in deliciis habere videntur, quam veritatis tuendae titulo errantes fratres ludibrio exponere, ac si per ipsos staret,

e si-

e sinu Ecclesiae matris eos eiicere. Quod sane consilium unde profluat, inquirere longum esset; nec proposito nostro necessarium. Id unum nosse sufficiat illud abesse longissime a christianae religionis indole, ac spiritu.

IX. Sed omnia, quae sex priorum saeculorum Ecclesiae historia suppeditat, exempla referre non vacat. Haec concludam narratione schismatis Acaciani, quod prope saeculi quinti finem erupit, nec desiit nisi saeculo sexto, anno scilicet 520. Eo tempore incepit hoc schisma, quo Eutychiana haeresis iam a synodo Calchedonensi proscripta litibus orientales Ecclesias impleverat. Siquidem in Ecclesia Constantinopolitana Gennadio successerat Acacius, qui multas tragoedias in oriente excitavit. Nam Petrum Mongum, quem prius velut haereticum fuerat merito insectatus, in communionem suam recepit, & in sedem Alexandrinam a Zenone Imperatore restitui curavit. Id aegre tulit Romanus

Pon-

Pontifex, noluitque cum Petro communionem habere. Immo communionem suam etiam Acacio denegavit, eumque e sede deposuit in synodo. Hanc depositionem tamquam illegitimam respuerunt orientales. Hinc proprie schisma ortum est. Nam Romani Pontifices eam tueri volentes non solum Acacium a communione ecclesiastica segregarunt, sed quotquot cum Acacio communicabant, scilicet maximam Ecclesiae partem, ac prae caeteris sanctos viros Sabam, Theodorum, Danielem Stilitam, Eliam Hierosolymitanum, aliosque. Quod durum, ac formidandum visum est Tillemontio tom. XVI. hist. Ecclesiast. Nec solum Acacii personae bellum motum est a Romanis, sed etiam ipsius memoriae. Exigebant enim ab orientalibus, ut eius nomen e diptychis raderetur; nec nisi sub hac conditione communionem suam exhibebant. Immo longius progressi sunt; nam e diptychis non unius Acacii nomen deleri volebant, sed eorum etiam omnium

nomina, qui dum viverent, cum Acacio unitatis vinculo coniuncti fuerunt. Hinc anathema iussum est dari viris sanctitate illustribus, quorum memoria in benedictione erat apud orientales. His conditionibus inhaeserunt firmissime per 36., & amplius annos quatuor Romani Pontifices, nec unquam se removeri passi sunt vel quorumdam episcoporum precibus, vel tot malorum praesentia, quae ab eo schismate producebantur. Unus Romanorum episcoporum Anastasius II. a praedecessorum suorum duritie recedere visus est, pacemque Ecclesiae attulisset, nisi mors intempestive eum sustulisset. Sed ob ea quae gesserat ad pacem ineundam a plerisque habitus est tamquam praevaricator, eiusque mors credita fuit, ut poena praevaricationis. Hinc post ipsius obitum iterum ad duritiem reversum est. Quae sane durities gravissima mala in oriente peperit: nam & callidis haereticis occasionem saeviendi praebuit; & catholicos viros qui tam-

tamquam excommunicati habebantur, innumeris periculis exposuit, quibus alios ad tempus, alios omnino cessisse novimus. Horum malorum praesentia commoti orientales episcopi, cum flectere Romanorum animos non possent, ob unitatis, ac pacis studium propositis conditionibus acquieverunt, nec solius Acacii, sed aliorum etiam episcoporum nomen, ac memoriam expunxerunt. Non defuerunt tamen aliquae orientis Ecclesiae, quibus id nimis durum videbatur, quaeque propterea in damnationem episcoporum suorum consentire noluerunt. Quarum constantiam cum frangere non posset Hormisdas Pontifex, rem totam aliis componendam commisit.

X. Ita res gesta fuit. Sed utrum agendi ratio, quam Pontifices tenuerunt, Ecclesiae Christi spiritui congrueret, difficile non est iudicare. Id primum colligi potest ex insignioribus illius aetatis episcopis, qui mitiorem animum in Romanis Pontificibus desiderarunt. Avitus enim

Archiepiscopus Viennensis, qui cum Romanis episcopis in ea caussa iunctus erat, rem magis studio partium tribuebat, quam veritatis, neque probabat ex utraque parte de unius viri nomine tantas excitari tragoedias. Euphremius item Patriarcha Constantinopolitanus vir sanctitate celebris duas ad Gelasium Papam epistolas dedit, ut eum flecteret ad lenitatem, & indulgentiam, quamvis ab eo non habuerit, nisi durissimas responsiones, quibus factum est, ut passim ab orientalibus Romanorum superbia argueretur, neque a Gelasio pacem amari crederetur. Rursus, ut diximus, Anastasius II. Gelasii successor satis ostendit se praedecessorum suorum duritiem nequaquam probare. Nam ipse viam incundae pacis aperuit missis Constantinopolim legatis, atque ad Imperatorem humanissimis litteris, quibus eum ad promovendam Ecclesiarum concordiam excitabat. Oravit quidem vehementer, ut e diptychis deleretur nomen Acacii,

qui

qui iustas praebuerat querelarum caussas, ac prima fuerat schismatis occasio; idque petiit, ut irritatos animos adversus ipsum ad concordiam componeret; sed nihil prorsus de aliorum Episcoporum nomine, qui cum Acacio communicaverant, sollicitus fuit; immo, teste Anastasio Bibliothecario, paratissimus erat etiam nomen Acacii restituere, ubi alia ratione pax orientalium cum Ecclesia Romana iniri non potuisset. Sed opus feliciter inceptum mors, ut innuimus, interrupit. Successerunt deinde Symmachus, & Hormisdas, qui non Anastasii, sed Gelasii vestigia sectati rem denuo in summo discrimine posuerunt. Iam orientales beatae memoriae nomina SS. Euphremii, ac Macedonii in sacris diptychis reposuerant, e quibus odio catholicae fidei abraserant Eutychiani. Poscebant prudentiae leges, ne Hormisdas insisteret abrasioni petendae nominum tam carae recordationis, quae nuper fuerant restituta. Id fieri non poterat absque pe-

 riculo

riculo seditionis, populique tumultus. Hinc ut ab ea conditione recederet Hormisdas, enixe petiit Iustinus Augustus. Sed flecti non potuit Pontificis animus. Institit proposito pertinacissime. Is se multum concedere dixit, si sola nominum abrasione contentus personarum etiam damnationem ab iis non postularet. Tantam animi saevitiam doluit orientalis Ecclesia; sed pacis amore ducta satius duxit sanctorum suorum nomina e diptychis dimittere, quam utramque Ecclesiam perpetua divisione seiungere.

XI. Sed iam supra animadverti in hanc rem omnes orientis Ecclesias minime consensisse. Quaedam enim earum tam gravem iniuriam fieri memoriae sanctorum suorum passae non sunt. Hinc restiterunt Romanorum supercilio, eorumque conditiones admittere recusarunt. Ut in has vi, ac poenis animadverteret Augustus, instabat Hormisdas. Sed longe melius Iustinus, quam Pontifex Ecclesiae spiritum intel-

intellexerat. Tantum abfuit, ut votis Pontificis annueret, ut potius ad ipsum litteras dederit per Comitem Iustinianum, quibus eum hortatus est, ut diuturnae liti finem demum imponeret, ac solius nominis Acacii abrasione contentus de caeteris non inquireret, ac ita pacem Ecclesiae restitueret. *Oro*, inquit, *de caeterorum nominibus quaestione sopita, ut redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit; ac non persecutionibus, & cruore, sed patientia Sacerdotali populum Domino nostro concilietis, ne dum volumus animas lucrari, & corpora multorum perdamus, & animas*. Atque antea ad eumdem Pontificem scripserat Imperator Anastasius, *nimis durum sibi videri mortuorum caussa ab Ecclesiae sinu viventes expellere, maxime cum id fieri non posset absque multorum excidio*. Quanto melius iudicabant laici a partium studio liberi, quam in propria caussa summi Ecclesiae Pastores! Sed ab

Inceptis recedere noluit Hormisdas; cumque intelligeret se nihil proficere posse, quod illae orientis Ecclesiae conditiones ab ipso propositas respuerent; nec Augustus Ecclesiarum concordiae studens votis suis annuere vellet, alio se convertit, remque totam pro arbitrio componendam dimisit Epiphanio Patriarchae Constantinopolitano, qui prout suadebat unitatis amor, mitiora consilia secutus, ut unius Acacii nomen deleretur, expetiit, ac ita orientalem Ecclesiam cum occidentali amico foedere coniunxit.

XII. Cui quidem unioni cum universa Ecclesia plauserit, satis exitus comprobavit ipsius indolem, ac spiritum se magis hac in caussa prodidisse in oriente, quam in Romanis episcopis. Quod & posteriorum saeculorum iudicium fuit, immo vel ipsius Ecclesiae Romanae. Haec enim postea quidquid gestum hac in re fuerat a Praesulibus suis, consideravit quasi factum non esset; nec solum permisit ea, de

quibus

quibus lis erat, nomina episcoporum iterum in diptychis Ecclesiae orientalis inscribi, sed etiam suis Beatorum fastis inseruit, ac iis honorem, ac cultum exhibuit, quorum, dum viverent, communionem Pontifices Romani reiiecerant. Quo satis comprobatum est ipsius iudicio in ea caussa modum Pontifices excessisse. Quod etiam ingenue confitentur oculatiores rerum ecclesiasticarum scriptores, ut inter caeteros Racinius, ac Tillemontius vir sane mitissimi ingenii, summaeque moderationis.

CAPUT

CAPUT VIII.

Ostenditur eumdem fuisse Ecclesiae spiritum etiam posterioribus saeculis.

I. Ex monumentis, quae ex sex prioribus Ecclesiae saeculis in religione purioribus hausimus, satis constare puto, quae sit Ecclesiae Christi indoles ac spiritus in tolerandis errantibus filiis, ac unitatis vinculo conservando. Quare superfluum videri potest in huius rei confirmationem alia subiungere. At iuvabit quaedam etiam excerpere ex posteriori Ecclesiae aetate, ut qui fortasse a vetustioribus non moventur, vicinioribus saltem exemplis tangantur. Excurram tamen per singula brevissime, nè nimis excrescat oratio, atque praecipua seligam ex multis, quae facere ad rem possent. Ac primo quidem silentio non praeteribo notissimam de tribus capitulis controversiam, quae sae-

saeculo VI. exorta diu, multumque Ecclesiam exagitavit, duravitque toto pene saeculo septimo. Eius ortum ac progressum neminem arbitror ignorare. Quare vix aliqua attingam huius historiae, magis necessaria tantum dicturus, quae institutum nostrum respiciunt. Synodus Calchedonensis haeresim Eutychetis proscripserat. At in ea synodo Theodoreti Cyri episcopi fides laudata fuerat, & Ibae Edesseni episcopi epistola ad Marim Persam perlecta, & approbata; quae quidem Theodoreti, & Ibae scripta tamquam Nestoriana labe infecta Eutychiani traduxerant; atque ut talia proscripta postea fuerunt a quinta synodo generali, quae fuit Constantinopolitana II., una cum scriptis Theodori Mopsuesteni episcopi. Haec est solemnis trium capitulorum proscriptio, quae tot tantosque motus in Ecclesia excitavit. Nam orientalis Ecclesia, & maxima pars occidentis cum Romano Pontifice oecumenicae synodi auctoritatem tuebatur, ac ideo pro

viri-

viribus sustinebat trium capitulorum condemnationem. Sed ex adverso stabant multarum Ecclesiarum episcopi, qui cum ferre non possent ea decisione synodi V. labefactari auctoritatem, ac vim synodi Calchedonensis, synodum V., eiusque de trium capitulorum proscriptione decretum reiiciebant. Atque hi rursus in duas classes distingui possunt. Nam quidam, ut episcopi Istriae, Hiberniae, & aliqui ex Africa ea de caussa schisma fecerunt. Alii vero ut episcopi Hispaniarum, & Galliarum, ac magna pars Africae, licet synodum V. respuerent, in unitate tamen cum aliis Ecclesiis aliter sentientibus permanebant. De schismaticis non loquor, qui schismatis crimine damnationis sententiam in seipsos protulerunt, cum nulla esse possit dissolvendae unitatis legitima ratio. Loquor de iis, qui in unitate perstantes quintam synodum admittere recusabant, quod per eam laedi auctoritatem synodi Calchedonensis existimarent, ac ideo se cogi crederent

derent ad trium capitulorum defensionem suscipiendam.

II. IAM vero in hac caussa videtis agi de auctoritate synodi generalis, ac propterea de suprema auctoritate Ecclesiae. Rursus agebatur de synodo, quam ut oecumenicam noverat, & amplexa fuerat maxima pars Ecclesiarum. Ei resistebat minor episcoporum numerus. Nec deerant mutuae in caussa fidei accusationes. Nam qui pro capitulis pugnabant, Eutychiani erroris labem in adversariis suspicabantur. Contra Nestorianismi nota inurebatur capitulorum vindicibus, ac patronis. Sed iam qua ratione Ecclesia se gesserit in hac caussa, videamus. Non diffiteor aliquos ex utraque parte fuisse, qui modum excesserint, ut ex una parte Theodorus monachus, postea episcopus Caesariensis, qui religionis, ac fidei titulo Iustinianum Augustum impulit, ut exilio, aliisque poenis in capitulorum defensores animadverteret; ex altera vero Facundus, qui se mirari dicebat,

bat,

bat, quod hostes capitulorum cum eorum vindicibus communionem servare vellent. *Nos sibi communicare compellunt, permanentes in ea sententia, qua non solum anathema epistolae Ibae non dicimus, sed etiam negamus esse dicendum*, ut ipse loquitur lib. II. cap. 3. Sed his paucis exceptis caeteri episcopi cum orientis tum occidentis in id totis viribus incubuerunt, ne ob eam controversiam unitatis vinculum rumperetur. Quod vel ex ea particula, quam ex Facundo attulimus, satis constat de orientalibus episcopis; maxime vero ex eo, quod contingit Theodoro Africae episcopo, qui cum in exilium a Iustiniano missus esset, quod synodi quintae nollet subscribere, Constantinopoli defunctus est. Hic enim tantum abfuit, ut ea de caussa tamquam excommunicatus haberetur, ut in eadem urbe imperiali, spectante universo populo, solemni pompa sepultus fuerit, ac in Ecclesia positus prope fidei confessores, quibus Hunnericus in odium fidei catho-

catholicae iusserat, linguam abscindi; quemadmodum narrat Victor Tunnunensis in chronico.

III. Romani quoque Pontifices in occidente longe ab iis dissimiles, qui caussam egerant adversus Acacium, nihil intentatum reliquerunt, quod concordiae tuendae inserviret. Nunquam enim sub anathematis poena cogere voluerunt, qui oecumenicam synodum recipere detrectabant, immo his adeo indultum est a Romanis episcopis, ut vel in epistolis, quas ad ipsos scriberent; vel in fidei professionibus, quae ab iisdem exigerent, unam quatuor generalium Conciliorum mentionem facerent, nihil vero dicerent de synodo V. oecumenica, perinde ac si peracta non esset, ita se gesserunt Pelagius I., Pelagius II. & Gregorius Magnus. Nam primus in fidei professione, quam misit ad Regem Galliarum Childebertum, non memorat nisi quatuor priora Concilia; & epistolam S. Leonis, suppresso penitus nomine synodi quintae, regemque exorat, ne permittat

mittat ob eam caussam dissensiones oriri, *ne illi*, inquit, *aliquos fratres & coepiscopos nostros vel creditas eis plebes ad dissensiones exagitent*. Cum vero Gregorius Magnus in epistola ad Reginam Theodelindam, quam ad Archiepiscopum Mediolanensem transmiserat, ut eam Reginae traderet, synodum quintam nominasset, certior factus ab eodem archiepiscopo se noluisse epistolam tradere, quod synodi quintae mentionem fecisset, summus Pontifex ipsius prudentiam summopere commendavit, ac loco primae aliam conscripsit epistolam, tacito prorsus nomine quintae synodi. *Nos*, ait Pontifex, *sicut voluistis, ita fecimus, ut eiusdem synodi nullam memoriam faceremus .... & sicut vobis placuit, ut quatuor synodos solum modum laudaremus*. Vel in ipsis demum fidei professionibus, quae ab iis exigebantur, qui ad schisma defecerant, nec synodi, nec proscriptionis capitulorum ulla mentio habebatur; sed solum cautum erat, ut ad unitatem redirent, *nec ullo modo*

con-

contra unitatem communis , & universalis Ecclesiae suadenti cuipiam consentirent .

IV. NIMIRUM ea episcoporum cura fuit , ut omnes in fidei summa convenirent : quo posito omnia , ut pax iniretur , toleranda esse putabant . Hinc cum mutuae haeresis suspiciones spargerentur , sollicite curarunt episcopi , ut quisque suos nitide promeret sensus , claras , atque distinctas fidei formulas exhibuerunt , ut omnis tolleretur aequivocatio , nec ulla remaneret suspicio . Id actum est in oriente , & eum exitum res habuit , ut dissentientes in fidei summa se convenire deprehenderint , uti colligitur ex ipso Facundo , qui omnia miscuerat , ut de fidei negotio quaestionem esse persuaderet . Nam dum ait : *non erubescunt miseri* (damnatores scilicet trium capitulorum) *dicere se unam cum non damnantibus fidem habere* ; clare significat utramque dissidentium partem profiteri se unam , & eamdem fidem tenere ; ac ideo quaestionem esse praeter fidei periculum .

Quo argumento potissimum utebantur orientales episcopi, ut eos redarguerent, qui ob eam controversiam ad schisma defecerant. Atque idem egerunt Romani Pontifices. Quare & Pelagius I. claras, ac nitidas fidei professiones ad Regem Galliarum dedit, ut omnes suspiciones averteret, & ut schismatici, cum intelligerent de fide non agi, ad unitatem redirent. *Ad sanandum*, inquiebat Pontifex, *animum vestrum, vel omnium fratrum, & coepiscoporum nostrorum in Galliae regionibus consistentium*. Pro schismaticis vero, *ut hac*, inquit, *satisfactione suscepta ad unitatem redeant*. Nihil scilicet non tentatum, ut remotis ambagibus, ac solutis difficultatibus dissentientes in Ecclesiae unitate manerent, vel egressi ad unitatem se se restituerent. His exprobabatur eorum crimen, quod se ab Ecclesiae communione seiunxerint. Nihil de proscriptione capitulorum; nihil de auctoritate synodi quintae adversus ipsos obiectum est. Id unum obie-

obiectum, quod nulla excusatione tegi poterat, quod unitatis vinculum dissolverint. Pro iis autem, qui unitatem servabant, nihil non indultum est. Permissum, ut quilibet de tribus capitulis, ac de quinta synodo, prout vellet, sentiret. *Licet*, ait Pelagius I., *in sensu suo abundantes intra materna tamen positi viscera a nobis repellendi non sunt, donec apud eos ratione duce rei veritas clareat*. Cum in tuto esset fides, quidquid super hac re disputabatur., velut superfluum & inutile censuit Pelagius II. Hinc & Gregorius Magnus aiebat *talem scissuram pro nulla re factam esse*. Sic omni quaestione de tribus capitulis, ac de synodo quinta sopita dissidentium pugna deferbuit, ac paulatim animi ad veritatem compositi, donec successu temporis omnium Ecclesiarum unanimitate in sexto generali Concilio probata demum fuerit quinta synodus, ac confirmata trium capitulorum proscriptio. Quamquam haec proscriptio

cum non respiciat fidem, sed facti quaestionem, non impedit, quominus ut olim, sic etiam modo impune quis possit vel epistolam Ibae, vel scripta Theodoreti ab erroris imputatione defendere. Ex quibus omnibus liquet, quam reprehensionem mereantur, qui postrema hac aetate tot tragoedias excitant in Ecclesia Dei non sine ingenti ipsius Ecclesiae, ac Reipublicae perturbatione ob quaedam formularia, vel quasdam ambiguas, & inutiles Pontificum Bullas, quamvis hae vel sola facta respiciant, vel certum loquendi modum, iurene an iniuria proscriptum, certe nihil attinentem ad fidei substantiam.

V. Eamdem oeconomiam, quam in quaestione de tribus capitulis, adhibuit etiam Ecclesia in controversia octavo saeculo exorta ob canonem editum circa cultum imaginum a septima synodo generali, quae secunda Nicaena appellatur. Notior cuique res est, quam ut in illa diutius immorer. Definierat inter plura adversus

Icono-

Iconoclastas septima synodus tribuendam esse imaginibus *honorariam adorationem*. Haec loquendi ratio cum aliis quibusdam formulis displicuit Gallicanae Ecclesiae, quae propterea in synodo Francofordiensi congregata septimam synodum, eiusque definitionem proscripsit, contempsit, condemnavit. Id egit etiam Carolus Magnus quatuor famosis libris, qui Carolini vocantur, & in quibus quae gesta erant a septima synodo pro adorandis imaginibus, abiicit, ac despicit, *tamquam novitates, stultiloquia, deliramenta, errores, & purgamenta*. Hîc nempe agitur de re gravissima; de cultu nempe imaginum sancito adversus haereticos, atque a synodo generali sancito, quam Ecclesia orientalis amplexa fuerat; & maxima pars occidentis cum Hadriano Romano episcopo, qui eamdem synodum auctoritate sua confirmavit, eiusque acta in linguam latinam versa misit in Gallias. Quid sane in hac caussa egissent ardentes aetatis nostrae Theologi? Iam continuo con-

conclamassent Galliarum episcopos temerarios esse, superbos, refractarios, haereticos. Septima synodus generalis est. Accessit eidem summi Pontificis confirmatio. Caussa igitur finita est. Hinc qui repugnat, expellendus ab Ecclesia, sicut ethnicus, & publicanus. Nihil ultra inquirendum. Non disquisitio, sed obedientia exigenda; nec refractarii audiendi, sed castigandi. Urgenda auctoritas, non instituendum examen. Vel leviter dubitare de synodo oecumenica piaculum est nulla expiatione luendum. Ita sane plerique dixissent, ac ita fortasse perpetuo schismati occasionem dedissent.

VI. Sed longe aliter se gessit Ecclesia, quae veritatis iura cum pacis, & unitatis studio, patientia, ac longanimitate semper componere studuit. Hadrianus Pontifex septimae synodi defensionem suscepit. *Fecerunt*, inquit, *rectae fidei confessionem, & ideo ipsam synodum suscepimus*. En veritatis iura. Sed quid egit pro pacis

amo-

amore ! Non institit adversus Galliarum episcopos auctoritate synodi . Errorem , eiusque originem indagare sategit . Nicaenam synodum cum Francofordiensi contulit , utramque discussit , examinavit , & unius definitionem comparavit cum decretis alterius , Gallisque ostendit eos in Francofordiensi eamdem prorsus doctrinam de imaginum cultu statuisse , quam Nicaeni Patres sanciverant ; ac ideo oportere aliquam esse aequivocationem , qua fieret , ut iis Nicaenae synodi definitio non probaretur . Quae sane aequivocatio orta fuerat ex mala interpretatione Nicaeni canonis in Gallias missa , ex qua suspicati sunt Galli Nicaenam synodum adorationem latriae , quae soli Deo debetur , imaginibus decrevisse , eosque perculisse anathemate , qui aliter sentirent . Cum autem praeterea intellexisset Hadrianus displicere Gallis quosdam ritus , quibus imaginum cultus apud Graecos de more gentis constabat , accuratissime separavit , quae dogmatis erant ,

ab iis quae puram disciplinam respiciebant; Graecorum ritus a superstitione liberare studuit, sed non coegit Galliarum episcopos, ut eos admitterent, cum alia apud ipsos disciplina vigeret, nec solerent eo tempore ritibus illis, qui in usu erant apud Graecos, uti Galli, nisi in adoratione latriae soli Deo exhibenda. Sic facta dogmatis, ac disciplinae separatione curavit Pontifex, ut una esset omnium fidei doctrina adversus haereticos. Quod sane optimum exitum habuit pro unitate servanda.

VII. Interea dum controversia ferveret, abstinuit Pontifex ab urgenda auctoritate septimae synodi generalis. Quod imitati sunt etiam eius successores: immo liberalius egerunt. Nam in epistolis ad Gallos conscriptis sex priorum Conciliorum mentione contenti nihil de septima synodo dixerunt. Quod per integrum saeculum accurate servarunt quotiescumque ad Galliarum episcopos scriberent. Id actum est a Nicolao I., & ab Hadriano II., cuius

aeta-

aetate habita fuit octava synodus generalis, quae diuturnae controversiae finem imposuit. Sed usque ad ea tempora nomen septimae synodi tacebatur, ut liquet ex epistola Hadriani II. ad Carolum Calvum, & ex synodo Romana habita post octavum Concilium generale, ubi sex tantum universalium Conciliorum fit mentio: immo in canone, in quo agebatur de eodem hoc argumento, scilicet de imaginum cultu, ne verbum quidem habitum est de Nicaena synodo. Quae sane conniventia modum excedere videri posset, nisi alte infixum Patrum nostrorum mentibus fuisset, salva fidei substantia, omnia tolerari magis oportere, quam schismati praebere occasionem, ut saepius animadvertimus.

VIII. Sed huius moderationis exemplum, ac pacis studium etiam Galli secuti sunt. Nam Rex Galliarum legatis suis enixe commendavit, ut pacem cum aliter sentientibus servarent, ut quaestionem agentes cum Hadriano Pontifice *modeste, ac patienter*

tienter cum eo disputationem haberent, *ita ut paulatim verbis eius quasi obsequendo*, *magis quam aperte resistendo ad mensuram*, *quae in habendis imaginibus tenenda est*, *eum deducere valerent*. Cum vero Hadrianus Pontifex, qui iam refutaverat scripta Caroli Magni, ut septimam synodum tueretur, morte defunctus est, Carolus Magnus tam longe abfuit, ut de eius fide, ac salute suspicionem haberet, ut potius declaraverit se *nullam dubitationem habere beatam illius animam in requie esse*. Hinc & a suis episcopis preces pro illius anima offerri voluit, atque ad aliarum Ecclesiarum episcopos, ut idem facerent, largissimas eleemosynas transmisit, ipsemet vero perenne Hadriani memoriae monumentum erexit, quo illius doctrina, ac virtutes mirifice commendantur. Sic ex utraque parte unitas servata fuit. Quo factum est, ut eo ipso tempore, quo controversia acriter agitabatur, in vinculo unitatis una omnium fides permanserit, ac ita omnes

Eccle-

Ecclesiae mutuo foedere iunctae adversus Iconoclastas pugnaverint, seposita prorsus ex utraque parte quaestione de synodo septima, eiusque definitione, quae varias inter fratres sententias pepererat. Successu vero temporis ex eadem agendi ratione profluxit, ut sedatis animis una facta sit omnium sententia etiam in iis, in quibus tam acriter disceptatum fuerat. Evanuit enim paulatim superstitionis suspicio, quam primum ingesserant ritus Graecorum pro colendis imaginibus, ac ita non solum in dogmate, sed etiam in disciplina omnium conspirarunt sententiae. Quo contigit, ut post octavam synodum generalem, qua denuo latum iudicium fuit de imaginum cultu, omnium consensu agnita demum fuerit auctoritas synodi septimae oecumenicae. Utinam haec prudens Ecclesiae Christi oeconomia pro controversiis finiendis ab omnibus observaretur!

IX. Esset modo dicendum de Graecorum schismate, quod ut extingueret, tanto-

tantopere laboravit Ecclesia. Sed opportunior erit de illo dicendi locus, ubi loquar de agendi ratione, quam Ecclesia tenuit erga dissidentes extraneos. Quaedam huc addam de schismate Avenionensi, quod per 50., & amplius annos Ecclesiam dire vexavit, quum nempe saeculo XIV. & XV. ineunte in varias partes discerpta esset Ecclesia circa verum, legitimumque Pontificem. Nam Avenione sedem suam fixerant Clemens VII., & Benedictus XIII. Romae vero sedebat Urbanus VI. Huic ceu vero Pontifici adhaeserat Italia, Alemannia, & Hungaria. Clementi autem Gallia, Hispania, Catalaunia. Unaquaeque pars pro vero, legitimoque Pontifice se pugnare gloriabatur, & sibi adversam schismatis, seditionis, contumaciae accusabat. Qui Clementi adhaerebant, Urbani factionem uti rebellem Ecclesiae, & excommunicationi obnoxiam habebant. Haec vero vicissim Clementem esse affirmabat apostaticum, non apostolicum, eiusque

secta-

sectatores schismaticos, & excommunicatos. Hinc nec missas audire, nec sacramentis communicare alii cum aliis volebant. Hanc scissuram dolebat Ecclesia, atque excessum eorum, qui unitatem rumpere attentabant, vehementer coarguit. Excessum hunc appellat doctissimus, ac piissimus Gersonius *pertinaciam, improbitatemque nimiam falsis assertionibus* nixam, aptamque *certissimis, & perniciosissimis schismatibus efformandis*. His veluti pro repagulo opposuit christianae prudentiae, & charitatis regulas inviolate servandas. Aiebat *temerarium, & scandalosum esse asserere* alterutrius partis fautores *esse extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos, non audire missas eorum, vel sacramentis non communicare... & facere scissuram in principalioribus actibus religionis christianae*. Illud prae oculis ponebat ignorantiam facti posse excusare, nec schismatis peccatum incurri, nisi ab eo, qui propria sponte, & intentione se

ab

ab unitate Ecclesiae separat, quae, ut ait S. Thomas, *est unitas principalis*; eum vero se non separare ab Ecclesiae unitate, qui paratus est animo alterutri Pontificum obedire, ubi canonica eius electio innotuerit, ac licet per errorem facti falso Pontifici obediat, ita tamen comparatus est, ut sese Ecclesiae iudicio submittat, recedatque ab eius obedientia, quum Ecclesia solemnem sententiam tulerit; bene vero schismatis reum fieri posse, qui se a fratrum communione seiunxerit, licet pro veritate, & iustitia pugnaret. *Possibile est*, inquit idem Gersonius, *aliquos verae parti assentientes esse veraciter schismaticos, & aliquos falsae parti assentientes schismaticos non esse*. Ex quo concludit, *singularitatem in opinione propria contumaciter alios condemnantem incomparabiliter videri periculosiorem, & deteriorem, quam sit communicatio fraternalis per charitatem .... sub intentione obediendi Ecclesiae*. Per haec moderationis christianae

con-

consilia obviam itum est Ecclesiae scissurae, ac vinculo unitatis servato paulatim christianorum animi dispositi ad pacem incundam. Quae sane principia se probasse Ecclesia satis ostendit, cum sanctorum fastis adscripsit viros sanctimonia illustres; qui uni, vel alteri parti tempore schismatis faverunt. Notum est enim pro Urbano VI. constanter stetisse, eiusque obedientiam pro viribus promovisse Sanctissimam Virginem Catharinam Senensem; pro Clemente autem VII. acerrime pugnasse Petrum de Lucemburgo Cardinalem ab eodem Clemente creatum, & Vincentium Ferrerium sanctitate, & miraculis praeclaros. Qui sane dum viverent, ab ardentioribus hominibus alterutrius partis velut schismatici habiti sunt. Ex quo sane discimus, quam longe distet Ecclesiae spiritus ab intemperanti eorum zelo, qui veritatis tuendae titulo tam facile sibi adversos insectantur tamquam sectarios, factiosos, contumaces, Ecclesiaeque rebelles. Quod

sane

sane dum faciunt, non vident miseri se magis prodere, quam iuvare Ecclesiae caussam, quoniam scissuras facere nituntur in Ecclesia Dei, ac pretiosam unitatem disrumpere, atque ita dum alios foras expellunt, se illigant gravissimo schismatis crimine.

X. Quanti sane faciendum sit unitatis vinculum, ac pacis bonum, perspicue etiam in his circumstantiis, de quibus loquimur, Ecclesia commonstravit. Nam cum plures fuissent viae propositae ad pacem, ac tranquillitatem Ecclesiae restituendam, via disceptationis relicta, selecta demum fuit via cessionis, quae plures difficultates patiebatur, cum per hanc inferri diceretur iniuria Pontifici canonice electo, qui cogi non posse videbatur, ut Pontificatum dimitteret, quem sibi iure collatum esse credebat; sed illud merito postulare, ut institueretur examen, ac ita per viam disquisitionis innotesceret, quinam esset Pontifex legitime electus. Qui-

bus

bus sane rationibus plures tunc temporis movebantur, ac ideo diu propositae viae cessionis restiterunt. Sed cum disquisitionis, & examinis ratio licet aequior fortasse videretur, longa tamen esset, incerta, ac periculosa, & diu protraheret bonum pacis Ecclesiae, post habitis omnibus eo demum ventum est, ut via cessionis eligeretur tamquam planior, utilior, securior, ac brevior ad consequendam veram, & indubitatam unionem Ecclesiae Dei; cui quidem unioni omnia privata iura cedere oportere iudicatum fuit. Hinc coacti Pontifices, ut dignitatem sponte dimitterent; qui vero renuerent, tamquam hostes pacis, ac divisioni, ac schismati faventes deponerentur. Quod & factum fuit in synodo Constantiensi, ac ita demum sub Martino V. Pontifice pax universae Ecclesiae reddita fuit.

XI. Sed iam veniamus ad ea, quae sub oculos nostros versantur, quaeque sunt pro re, nostra luculentissima exem-

pla, licet fortasse his assueti minus quam par esset ab iis afficiamur. Loquor de celebri controversia, quae inter catholicos ab annis tercentis agitatur circa ecclesiastici regiminis formam. Haec plura complectitur; sed unum quaestionis caput attingimus: an scilicet superior sit Romanus Pontifex oecumenica synodo, an huic inferior, & subiectus? Galliarum Ecclesia cum aliis nonnullis Pontificem infra synodum deprimit. Ecclesia Romana cum aliis multis eum supra synodum extollit. Diuturna haec quaestio innumerabilium Theologorum ingenia occupavit; ingentia ex utraque parte conscripta volumina. Utraque pars confitetur agi de articulo doctrinae maxime necessario, ac pertinente ad fidei depositum, quodque secum trahit summae necessitatis consectaria. Hinc & mutuae, ut fieri solet in aestu disputationes, accusationes haeresis ab utraque parte in se coniectae. Rursus agitur de doctrinae capite non vago, & ambiguo,

aut

aut ulla aequivocatione laborante, sed fixo, determinato, omnibusque conspicuo. Eius notiones satis clarae sunt, distinctae, atque utrinque ad evidentiam evolutae, quae propterea nulli subiacent ambiguitati. Hinc lucet omnibus sententiarum diversitas in re maximi momenti. Agitur demum de controversiae capite, quam concordissima Ecclesiae auctoritate finitam esse iamdiu utraque pars opinatur. Nam Galliarum Ecclesia urget expressam, atque distinctam definitionem habitam super hac re a synodis oecumenicis Basileensi, & Constantiensi, quas vel ipsi Pontifices Martinus V., Pius II., Eugenius IV. probarunt, & a quarum propterea auctoritate recedere haereticum esse putatur. Sed ex adverso stantes Ecclesiae in subsidium suae caussae duo alia Concilia, quae putant oecumenica, Florentinum scilicet, & Lateranense obiiciunt, in quibus Italorum, ut aiunt, sententiam definitam fuisse contendunt. Hac sane in

re, sive rei substantiam spectes; sive auctoritatis monumenta, controversiam vides esse gravissimam.

XII. Quid ergo fieret, si eorum sequeremur principia, qui tam facile sectarios, contumaces, rebelles, publicos peccatores, excommunicatos, a sacramentorum communione arcendos fratres suos continuo clamant, qui licet profiteantur, ac iurent se unam cum ipsis fidem habere, nolunt tamen acquiescere decretis quibusdam non universalis Ecclesiae, sed unius Romani Pontificis, nec fidem spectantibus, sed purum factum, vel disciplinam, eaque de caussa acquiescere nolunt, quod in iis iudicium Ecclesiae minime agnoscant, & ex altera parte ea putent aptissima esse ad discordias fovendas, & ambiguitatem augendam in rebus nondum satis discussis, nec totius Ecclesiae auctoritate roboratis, huic alioquin paratissimi se, suumque iudicium submittere? Horum principia, ac praxis si executioni mandarentur, iam

actum

actum esset de praecipuis orbis catholici Ecclesiis. Iamdiu sese separassent ab invicem, ac fracto unitatis vinculo maxima fidelium multitudo abstracta e gremio Ecclesiae universalis fuisset. Sed multum ab his abhorret Ecclesia Christi. Novit ipsa in dissensione Ecclesiarum nihil magis timendum esse quam periculum schismatis. Novit definitiones Ecclesiae etiam claras, atque perspicuas posse successu temporis obscurari: novit etiam solemne totius Ecclesiae iudicium posse apud multos notorietatem, ut aiunt, suam amittere, cumque ipsa intelligat totam vim iudicii Ecclesiastici positam esse in consensione, sive unitate Ecclesiarum, hinc didicit servandum semper esse vinculum pacis, & unitatis cum iis omnibus, qui foras non exeunt, seu qui se non separant ab unitate totius Ecclesiae, quae est *unitas principalis*. Hinc dissidentes tolerat in rebus nondum totius Ecclesiae auctoritate firmatis, expectatque patientissime illud

tempus, quo veritatis luce se se propagante latius, ubique demum pateat veritas doctrinae, omnibusque conspicua fiat canonica ipsius definitio.

XIII. Hisce principiis praxim suam inaedificarunt etiam in re quam versamus discordes Ecclesiae. Nam Ecclesia Romana semper vinculum pacis cum Gallicana servavit; eosque semper habuit ut turbulentos, factiosos, atque fanaticos, qui vel superioritatem Papae supra Concilium, vel ipsius absolutam infallibilitatem tueri conantur tamquam articulo necessarios credendos. Similiter se gessit erga Romanam Galliarum Ecclesia. Haec quidem nunquam destitit a veteri propugnanda doctrina per Concilium Constantiense definitam; ac errorem oppositum constantissime repulit, ac pergit repellere. Sed his contenta finibus cum Romana amico foedere semper in omnibus religionis actibus coniuncta mansit, eorumque zelum semper est execrata, qui ob has controversias vinculum pacis abrum-

abrumpere moliebantur cum fratribus suis agentes tamquam cum haereticis, vel rebellibus, vel refractariis. Ita factum est, ut licet quaestiones huiusmodi maximo animorum aestu per tria, & amplius saecula utrinque agitatae fuerint, semper tamen unitas manserit, ac sic paulatim dissipatis errorum praestigiis, & superstitionis fabulis veritas doctrinae Gallicanae se latius extenderit, ac in dies magis, magisque efflorescat, ut quotidiana experientia commonstrat; atque hac ratione in omnium conspectu redit veritas, quin ullum allatum sit unitati Ecclesiae detrimentum.

XIV. Aliud huius moderationis Ecclesiasticae exemplum afferam, ante quam e Galliarum regno discedam. Post celebratam synodum Tridentinam Reges, ac Principes catholici ipsius decreta in ditionibus suis promulgarunt, suaque auctoritate, ac legis sanctione firmarunt. Reges Galliarum, ac Magistratus quibusdam de caussis iam satis perspectis id efficere noluerunt,

quamvis ut id facerent, saepe numero consiliis, monitis, precibus excitati fuerint a Pontificibus Romanis, ac vel ab ipso Clero Gallicano. Id per duo, & amplius saecula semel, & iterum postulatum fuit; & nihil hactenus impetratum. At numquid minus catholici Reges, Magistratus, populique Galliarum? Anne cum iis actum est ab Ecclesia, perinde ac essent publici peccatores, excommunicati, rebelles? nihil minus. Sed hac quaestione sopita, amice cum iis actum est, nec unquam vel minimum interrupta religionis communio, pax, atque concordia. At enim agitur non de decreto Romanae Inquisitionis, non de unius Pontificis Bulla, sed de oecumenica synodo, quam universa Ecclesia probavit, ac caeterae nationes susceperant. Sed novit Ecclesia rem fidei definitam ab ipsius definitione secernere. Iam non semel vidimus, ubi salva fuerit fidei substantia, pro pacis bono consuevisse Ecclesiam abstinere ab urgenda sy-

nodorum

nodorum generalium acceptatione, ac vel ipsarum nomen consuevisse silentio supprimere, idem sub oculis nostris evenisse conspicimus, cum sibi semper cohaereat Ecclesia Christi. Iam satis constat integerrima illius gentis fides; iam constat non ob aliqua fidei capita, sed tantum ob aliquas loquendi formulas, vel quosdam disciplinae articulos denegari illius synodi promulgationem. Ergo Ecclesia recederet ab eo pacis, ac lenitatis spiritu, quo semper animata fuit, si ob hanc caussam, quae nihil ad fidem attinet, cum ea natione vinculum unitatis, ac pacis abrumperet. Sic Ecclesia semper haesit firmissime eo principio, cuius saepe meminimus, salva nempe fide, omnia magis tolerari oportere, quam periculum divisionis afferre.

XV. Sed nihil magis ostendit hunc lenitatis, ac patientiae spiritum erga personas errantes, quam historia huius, ac superioris aetatis. In haec posteriora saecula

cula quasi fæx laxitatum omnium, atque errorum colluvies collapsa esse videtur. Nihil sane in omni doctrinae christianae genere tam sanctum, tam antiquum, tam venerandum, quod male feriata hominum ingenia depravare, ac corrumpere non attentaverint. Praecipua religionis capita cum in rebus fidei, tum in rebus morum effraeni opinandi licentia impetita sunt. Novum hominum genus facta veluti conspiratione, & quasi agmine facto in christianae doctrinae perniciem armis ruere visum est. Huc molinistarum commentis, illuc probabilistarum licentia concutiebatur Christi doctrina. Novum antichristianae doctrinae corpus propagari caepit, & incrementum in dies, ac vires sumpsit. Tantam errorum catervam dolebat sponsa Christi, ac filios suos obtestabatur, ut a novitatibus resilirent ad veterem Ecclesiae doctrinam. Vigilantiores Episcopi, saniores Theologi, illustriores Pontifices, & quotquot erant in Ecclesia Dei boni, docti-

doctique viri tantae opinandi libidini resistebant, ac veluti aggeres exundanti flumini opponebant instructiones, cathechismos, preces, monita, censuras. Sed numero fautorum, potentia, opibus audaciores facti Neoterici obsurduerunt Ecclesiae vocibus, eiusque monitis, censurisque spretis ipsius quasi senectuti insultabant. Haec sub oculis nostris accidisse scimus; ac etiam modo cernimus disseminatas ubique reliquias, & super faciem Orbis dispersas caput adhuc erigere, immo quasi ex accepto vulnere maiorem actas in rabiem vehementius latrare, acrius mordere, Ecclesiaeque matris viscera dilaniare. Iam vero qua ratione se gessit Ecclesia erga filios errantes, qui tot praevaricationum cumulo, & incredibili animi pertinacia lacessiverant indulgentissimae matris patientiam? Iam fuerant sub Clemente VIII., & Paulo V. novarum opinionum auctores palam accusati. Indicatae publicae Congregationes, ut de novitate doctrinae iudicare-

dicaretur. Per decem, & amplius annos accuratissimum examen institutum fuit coram Pontifice in famosis Congregationibus, quae *de auxiliis* nuncupantur. Sessiones plusquam ducentae habitae sunt. In his constantissime Molinistarum errores damnati fuerunt. Iam cōndita Bulla fuerat, quae eorum damnationem in conspectu universae Ecclesiae proponeret. In ea precise, distincte, ac per singulos articulos, ut olim fecerat adversus Semipelagianos Arausicana synodus, novitates proscriptae, & veritas Ecclesiae proposita. Optabat Ecclesia, ut solemni iudicio vix exortae controversiae finirentur. Iam vota sua satis expresserat per synodos, quas coegerat, ut nascentes errores confoderet, ac per censuras latas a celebrioribus Universitatibus. Sed caussam ad se vocaverat Pontifex. Indulgendum erat personis errantibus; sed finienda lis fuisset; ac ita ab exordio extinguendum incendium. Sed aliis curis distentus Pontifex quod promiserat, non adim-

adimplevit, sed in aliud tempus protraxit. Interea crevit Neotericorum audacia, & ex erroris tolerantia in superbiam elati in peiora ruerunt, eoque progressi sunt, ut profanas quas in dies invexerant, novitates tamquam Ecclesiae doctrinam proponerent bellum inferentes acerrimum inimicis suis, ac caelum, terramque moventes, ut error triumpharet, ac opprimeretur veritas cum ipsius defensoribus. Notissima est harum rerum historia, atque huius monumenta quisque prae oculis habet, ac intuetur aetate hac nostra tam diuturnae seductionis pessimos effectus, & consectaria. Atqui hos seductores, & falsos doctores per plura saecula patientissime tulit Ecclesia, & adhuc tolerat in spiritu patientiae, & lenitatis. Hos non solum frui permisit communione sacramentorum, ac iuribus omnibus, quae fidelibus conveniunt in unitate manentibus, sed eos peculiari charitatis affectu complexa honoribus, dignitatibus, largitionibus demul-

cere

cere sategit, ut carnalibus, & aegris filiis sese accomodans eos si fieri posset, corrigeret, atque sanaret. Quae sane indulgentia erga contumaces filios plerisque nimis effusa, ac modum excessisse visa est.

XVI. SANE vel ipsi laxioris ethicae, ac molinianae doctrinae hostes acerrimi semper consueverunt errores ab errantibus discernere. *Nous ne nous séparons*, aiebat illustris Ecclesiae Gallicanae episcopus, *de communion d' avec eux, qui soutiennent une morale relachée, des dogmes Pelagiens sur la grace. Rien n' est plus certain, ni plus important que les verites, qu' ils combattent. Mais Dieu a permis que dans les derniers siécles l' Eglise se soit vue come contrainte de souffrir dans son sein ces hommes... Nous tolerons en esprit de charité ceux, qu' elle tolere, soit par l' esperance de les ramener, soit par la crainte de donner lieu à de trop grands troubles*. Sub Alexandro VII. effraenis Casuistarum licentia undique censuris compressa

pressa fuit. In eam enim morum perniciem ubique Theologi, Pastores, Episcopi, Pontifices arma sumpserunt. Sed vel in ipso pugnae fervore homines errantes ab erroribus discernebantur. Hos quidem damnabant Ecclesiae Pastores; at personis errantibus parcebant. Placet hic quaedam exscribere ex quinto facto Parochorum Parisiensium, qui acrius in Casuistas insurrexerant, ut innotescat, quo spiritu ducerentur erga errantes, dum errores damnabant.

XVII. » *Les Jesuites sont Coupables* » *de tous ces maux; & il n'y à que deux* » *moyens d'y remedier: la reforme de* » *la Societé, ou le decri de la Societé.* » *Plût à Dieu, qu'ils prissent la primiere* » *voie! Mais tant qu'ils s'obstineront a* » *se rendre le honte, & le scandale de* » *l'Eglise, il ne reste, que de rendre* » *leur corruption si connue, que personne* » *ne s'y puisse méprendre, afin que ce* » *soit une chose si publique, que l'Eglise*

» *ne*

» ne les souffre que pour les querir, que
» les fideles n' en soient plus seduits, &
» que les heretiques n' en soient plus eloi-
» gnès de se reunir à l' Eglise.

XVIII. » *Mais nous ne voulons pas,*
» *que ceux que Dieu nous a commis,*
» *s' emportent tellement, dans la vue des*
» *excès des Jesuites, qu' ils oublient,*
» *qu' ils sont leur freres, qu' ils sont dans*
» *l' unité de l' Eglise, qu' ils sont mem-*
» *bres de notre corps, & qu' ainsi nous*
» *avons interêt à les conserver .... C' est*
» *l' accomplissement de deux points, de*
» *ne pas consentir aux maux des impies,*
» *& (neaumoins de ne pas faire de schi-*
» *sme, qui fait l' exercice des Saints en*
» *cette vie, où les elus sont confondus*
» *avec les reprouvés ; & c' est l' infra-*
» *ction d' un de ces deux points, qui*
» *fait ou le relâchement des Chretiens ...*
» *où le schisme des Protestans.*

XIX. » *Les Jesuites ont donc cet*
» *avantage, qu' etant dans l' Eglise, ils*

» nto

» ont part à tous ses sacrifices : de sorte, » qu' on en offre par tout le monde, » pour demander a Dieu, qu' il les eclaire, » comme le Clergé de France eut la cha- » rité de l' ordonner, il y a quelques » anneès, outre les prieres publiques, qui » ont été faites quelques fois pour eux » dans les dioceses particuliers.

XX. » *Mais* on ne doit pas etendre » les sentimens de charité, qu' on doit » avoir pour eux, jusqu' à les suivre » dans leur erreurs, puisqu' il faut se » souvenir, qu' encore que ce soit des » membres de notre corps, c' en sont des » membres malades, dont nous devons evi- » ter la contagion, en observant en me- » me-tems de ne les pas retraneher d' avec » nous, puisque ce seroit nous blesser » nous-meme ; & de ne point prendre de » part a leur corruption, puisque ce seroit » nous rendre des membres corrompus, & » inutiles.

XXI. Haec licet paulo fortasse longiora exscribere volui, ut non solum agendi ratio intelligeretur, quam sibi constans Ecclesia semper tenuit, sed etiam legitima huius praxis caussa, ac finis, quem sibi Ecclesia proponit. Utinam ab omnibus id semper observatum fuisset! Sed quam diversa agendi methodo novarum opinionum auctores hostes ipsorum tractarunt, ac tractant! Quis a lacrymis cohibere se potest, dum historiam praecedentium, atque huius saeculi praesertim considerans videt tanta saevitie actum ab iis esse cum ipsorum adversariis, ut hos non solum tamquam rebelles, excommunicatos, publicos peccatores, haereticos ad iis invidiam conflandam continuo factis, dictis, scriptisque appeterent, sed etiam adversus eosdem caelum, terramque moverent, ut eos e sedibus suis deturbarent, atque exilio, carceribus, aliisque poenis constantiam adversariorum lacesserent! Nonne hac agendi ratio ne luculentissime demonstrarunt

runt se tantum abesse ab Ecclesiae christianae spiritu, quantum eorum novitates ab Ecclesiae doctrina distant? Egit de hoc argumento peculiari dissertatione in tot epistolas divisa auctor libelli, cui titulus est: *lettres pacifiques au Sujet des contestations presentes*; ac recensita historiae monumenta in unum ab ipso collecta praesenti temporum conditioni ubique applicavit, viamque indigitavit restituendae iamdiu iactatae disputationum turbine Ecclesiae Christi exoptatae tranquillitati. Nos id indicasse sufficiat, cum id unum propositum nobis sit ex historiae monumentis generatim ostendere, quinam semper fuerit, ac modo sit Ecclesiae spiritus pro controversiis finiendis, & quae ipsius agendi ratio erga filios errantes. Quod sane hactenus satis evicisse putamus.

XXII. Nam ex factis huc usque congestis abunde constare arbitror, Ecclesiam Christi sequentes prudentiae, ac charitatis regulas sibi semper proposuisse inviolate

servandas. I. Cum de dogmatis substantia ageretur, consuevit semper Ecclesia errantes tolerare usque ad concordissimam totius Ecclesiae decisionem. Huius rei caussa sunt, bona fides errantium, spes futurae resipiscentiae, studium conservandae unitatis, tum etiam veritatis detegendae ope disputationum, animosque adversarum partium fraterna charitate liniendi, ac ita paulatim comparandi, ut demum se se submittant iudicio totius Ecclesiae, atque in unam sententiam cum omnibus Ecclesiis conspirent. Ita se gessit, ut vidimus, Ecclesia in caussa Cypriani cum Stephano. II. Ubi vero in fidei summa partes dissidentes reapse conveniunt, quamvis se putent in fidei dogmatibus dissidere; quo fit, ut mutuo se se haeresis redarguant, quemadmodum contigit in schismate Antiochiae, & in controversia exorta inter Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Antiochenum; tunc ea semper fuit Ecclesiae cura, ut certa ab incertis seiungeret, ut dissen-

dissentientes ad fidei suae professionem claram, nitidamque induceret, ac ita veros haereticos a filiis suis secerneret, ut demum ambiguas locutiones exponeret, ac ita remotis ambagibus omnes in unam cogeret fidei sententiam; qua integra manente nihil non indultum dissidentibus, nihil non permissum, potiusquam unitas, & pax rumperetur, sicuti factum esse observavimus in controversiis, quas modo referebamus. III. Cum demum controversiae ad fidei substantiam non attinent, sed vel disciplinam respiciunt, vel facta, aut quaedam vocabula, seu loquendi modos, vel ritus, aut aliquod Conciliorum etiam generalium decretum, ut accidit in disputatione de voce *homousion*, de synodi Ephesinae decreto pro anathematismis Cyrilli, de tempore celebrandi Paschatis, aliisque similibus; tunc Ecclesia in id totis viribus incumbit, ut vinculum unitatis permaneat, cui quidem unitati omnia refert, ac donat; vel ipsas voces conse-

cratas seponit, immo vel ipsa Concilia; omnia tolerans magis quam occasionem schismati praebens. Has sane regulas constantissime fuisse ab Ecclesia servatas satis ut puto productis per seriem saeculorum ecclesiasticis factis probavi; ac ita confectum esse puto, quod mihi proposui circa tolerantiam, qua Ecclesia errantes filios complecti solet. Nunc ad eam gressum facimus, quam eadem adhibuit erga dissidentes extraneos.



CAPUT

CAPUT IX.

De agendi ratione, quam tenuit Ecclesia adversos extraneos.

I. Ab ea sollicitudine, qua semper cavit Ecclesia, ne vinculum pacis, & unitatis ob domesticorum dissidia frangeretur, intelligere quisque potest, quanto dolore ipsa afficiatur, cum fideles a sui communione se separant, vel ipsa cogitur contumaces filios expellere. Nam christiani foras non exeunt, nisi aut voluntaria separatione, aut coacta, quum nempe Ecclesia compellitur a societate christiana quosdam excommunicatione rescindere. Hoc autem ipsa non facit nisi compulsa necessitate, quum scilicet adhibitis inutiliter monitis, consiliis, precibus, instructionibus, minis contumaces eos videt, rebelles, in errore obfirmatos, ac repugnantes pervicacissime latis ab ipsa unanimi concordia

definitionibus ; & ex altera parte quum imminere intelligit contagionis periculum, & subversionis fidelium, nisi putrida membra de medio auferantur. Hoc autem antequam faciat, nihil prorsus omittit eorum, quae ad filios suos in veritatis semitam revocandos conducere possunt. Obsecrat ipsa, invitat, allicit, instruit, arguit in omni patientia, & doctrina. Saepius monet, saepius terret, ut paratum fulmen ab alto errantem perterrefaciat, ipsumque cogat ad se redire, erroremque suum agnoscere, & exsecrari. Vult a suis observari Christi praeceptum de correptione ante incunda cum privatim, tum publice, nec sinit eum haberi sicut ethnicum, & publicanum, nisi his omnibus ab Ecclesia adhibitis mediis pertinaciter reluctantem. Percurre sane historiae Ecclesiasticae monumenta, & ubique videbis non consuevisse Ecclesiam errantes e sinu suo repellere, nisi contumaciam, ac spiritum rebellionis ostenderint, ac scriptis, factisve probaverint

verint

verint se nolle Ecclesiae obedire, nec eius solemni iudicio acquiescere. Quod sane initium est voluntariae eorum, qui pertinaciter errant, ab unitate Ecclesiae separationis. Hos autem, cum ad hunc gradum pervenerint, summopere dolet Ecclesia, ac filiorum suorum interitum gemebunda deplorat. Eos a se recedentes, ut maneant, invitat; caussationes excipit, appellationes, novaque examina petentibus concedit. Moras nectit, diu suffert, innuitque se omnia tolerare, dummodo, salva fide, ad unitatem redeant: nec fulmen demum iacit in illos, nisi iam rebelles, eiusque auctoritati insultantes, ac Christi fidelibus portendentes animarum ruinam. Hic autem non loquor de proscriptione errorum, sed de personarum condemnatione. Nec loquor de peculiaribus Ecclesiis, sed de spiritu Ecclesiae universalis. Nec enim ignoro peculiares Ecclesias, vel earum Pastores non raro tulisse praeceps in errantes iudicium, eosque

que a communione separasse. Sed istae fuerunt separationes imperfectae, atque partiales, quibus saepe per alias Ecclesias subventum est, nec raro Ecclesia universa improbavit, quae lentius in personis condemnandis processit, neque unquam velut extraneos consideravit, nisi separatos ab unitate totius Ecclesiae, quae est unitas principalis.

II. Sed cum extranei facti sunt, sive coacta, sive voluntaria separatione ab Ecclesiae unitate, restat ut videamus, qua ratione erga eosdem se gesserit Ecclesia. Duo vero sunt, quae tunc sibi Ecclesia proponit; unum quod ipsos haereticos respicit, alterum, quod spectat ad filios suos in unitate manentes. Horum ut periculo provideat, alte figit eorum mentibus catholicam doctrinam, oppositi erroris virus, ut ab eo caveant, exponit; monet cum Apostolo, ut haereticos devitent, eorumque consortia fugiant, ne illaqueentur pravis sermonibus, ac ne deci-

decipiantur eorum versutia : inculcat eos esse malum fermentum , quod totam massam corrumpere potest ; esse scabiosas oves , a quibus infici possunt . Palam denuntiat eos fuisse exclusos a communione catholicae Ecclesiae , ac ideo iuribus privatos sacramentorum . Hinc praecipit , ne cum eorum erroribus communicent . Nam *quae participatio lucis ad tenebras ? Belial ad Christum ?* Quod tamen non impedit , quominus fideles cum ipsis extraneis communia servent societatis officia , quae sine ipsius societatis detrimento interrumpi non possent ; quemadmodum iubent ubique sacrae litterae , & perpetuo clamat Ecclesia , vitanda esse malorum consortia , fugienda eorum conventicula , ab eorum societate declinandum , ne colloquia prava mores corrumpant , ne mala peccatorum exempla animum seducant , ac vitient ; quin tamen inde inferatur suspendi oportere cum peccatoribus civilis societatis actus , ac ita ab iis fugiendum , ut

quae

quae ad societatem civilem pertinent ; cum ipsis tractari non possint . Christianae legis praecepta se mutuo non destruunt ; nec unum cum alio colliditur . Religio mandat omnia servari , ac ita consulit animarum saluti , ut societatem non turbet . Unus enim & idem religionis , ac societatis auctor est Deus , qui propterea utriusque fini optime providit , quin unus alterum everteret . Iubet Deus impleri societatis officia : iubet nos integros , liberosque servare ab omni immunditia mentis , & cordis . Christiana charitas , atque prudentia haec omnia simul componit . Nam ab ea docemur ita cum omnibus agendum , ut eorum mala non imitemur exempla ; ita negotia cum ipsis tractanda , quantum huius vitae necessitas postulat , ut eorum non inquinemur erroribus , aut praevaricationibus ; ita cum ipsis societatem servandam , ut nullam cum pravis eorum erroribus , aut operibus communicationem habeamus . Hac agendi ratione servatur reli-

religionis integritas, malum vitatur; quin societas ne minimum quidem turbetur.

III. Hunc agendi modum fidelibus suis a Christo edocta Ecclesia praescribit. Severiorem methodum adhibuerat Deus cum Hebraeis, postquam eos in unum populum coegit, eumque a caeteris gentibus discrevit. Siquidem iis omne cum exteris nationibus commercium prohibuit. Carnalis enim populus erat; eum regebat littera legis; nondum spiritus vivificaverat. *Nam*, ut inquit S. Ioannes, *lex per Moysen data est; gratia vero per Iesum Christum Dominum nostrum*. Rursus eum populum sibi Deus adsciverat, ut inter idololatras unius Dei cultum servaret, ac promissiones suas de futuro mediatore custodiret. Hac enim de caussa eum eduxerat ab Aegypto, eumque in dissitam regionem transtulerat, eique peculiarem orbis partem assignaverat. Quare cum exteris velut cum hostibus perpetuo pugnandum erat. Hinc nullum cum extra-

neis

neis nationibus commercium ineundum, ut in accepta religione contineretur, & a caeteris populis discretus maneret. Sic regendus erat populus durae cervicis, solis temporalibus addictus, sub occidente littera constitutus, nondum sub spiritu vivificante. Sed ab hac servitute Christus nos liberavit; novum spiritum attulit libertatis, qui charitas est, quam Deus diffudit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. A terrenis rebus ad caelestia nos evocavit. A Iudaea viam salutis aperuit in omnes fines orbis terrarum. Religionem constituit, quae non promissa terrena, sed spiritualia, nec unam gentem, sed omnes terrae populos compleсteretur; atque huius religionis indolem esse voluit charitatem, quae non domesticos solum, sed universum hominum genus respiciat, nec solum amicos, & foederatos, sed vel ipsos extraneos, immo & inimicos amore prosequatur, iisque propterea necessaria officia societatis impendat

pendat

pendat . Caveant ergo fideles ab errore ; caveant a peccato : sed errantibus hominibus impendant dilectionis affectum . Eorum statum doleant , eosque potius mutuis vitae subsidiis adiuvent ad resipiscentiam .

IV. Huius charitatis exemplum nobis praebuit Christus ; qui cum in Iudaea versaretur , ac novae religionis semina iaceret , licet adversus vitia , errores , & vanissimas superstitiones vocem attolleret , & malos , atque errantes coargueret , non solum omne peccatorum genus benignè excepit , nec solum patientissime tulit Sadducaeos , Pharisaeos , Essenos in variis , ac praecipuis religionis capitibus dissidentes , sed exteros etiam , notosque schismaticos , cuiusmodi erant Ethnici , & Samaritani , allocutus est , ac summa lenitate tractavit , ut eos ad veritatis cognitionem , atque ad unitatem pertraheret . Venerat quippe ipse quaerere quod amissum fuerat , & salvum facere quod perierat . Is exemplo suo docuit , quae

ratio

ratio tenenda sit cum extraneis, ut nec in societatem peccemus, nec in charitatem, nec maiorum exemplis, aut perversis inquinemur doctrinis. His Christi exemplis, & institutis institerunt Apostoli, atque iis nata est, & crevit Ecclesia, ut ex sequentibus perspicuum fiet.

V. Nam ut potest intelligi, sensim progressi sumus ad alterum Ecclesiae obiectum, quod ipsos hostes fidei respicit. Nam cum Ecclesia rebelles filios a sui communione rescindit, id agere, sicut innuimus, ipsa compellitur, ut contagii periculum evitetur. Expedit enim, ut caveantur, cognosci malos, ovesque a lupis secerni, ne pergant mactare, ac perdere. Sed non ita fidelium periculo occurrit, ut errantium velit interitum. Novit ipsa iussum esse, ut velimus omnes homines salvos fieri, ut de nullius salute, quamdiu vivit, desperemus; ut modis omnibus ad veritatis viam devios fratres reducere satagamus. Novit aliquando acerrimum fidei persecutorem fieri

intre-

intrepidum ipsius vindicem, & qui nobis esse videtur in massa perditionis, futurum esse fortasse fratrem nostrum, & cohaeredem regni Caelorum. Haec saepius exempla divina misericordia nobis obiecit, ut disceremus nunquam esse desperandum, sed insistendum monitis, instructionibus, precibus; ut in omni patientia, ac doctrina, si fieri possit, perditos fratres recuperemus. Hoc spiritu instructa Ecclesia Christi maternis visceribus filiorum suorum ruinae compatitur; parata semper eos excipere, si ad ipsam redire velint; utque redeant, nihil omittit, ac solemniter ut redeant, preces ad Deum fundit, ut constat ex liturgiis, & praesertim ex orationibus, quas pro haereticorum, aliorumque conversione, ac salute in hebdomada sancta recitare palam solet. Haec sunt Ecclesiae vota, quae vel ipsas spirituales poenas infligit rebellibus, ut per eas resipiscant, & convertantur, quemadmodum & Paulus incestuosum Corinthium

tradidit in interitum Satanae, ut spiritus salvus fieret. Quod & divina largitate factum est. Nam post excommunicationem facti poenitens incestuosus ad Ecclesiae gremium confugit, cumque poenitentem excipi iussit Apostolus. Hoc semper fuit piae matris consilium. Huc semper direxit totam disciplinae suae severitatem, quam in contumaces peccatores, vel haereticos adhibuit.

VI. Hac de caussa nihil intentatum relinquit, ut eos ad unitatem trahat, omniaque libertissime dimittit, dummodo salva fide, ad ipsam redeant. Vidimus quanta indulgentia Ecclesia usa fuerit adversus Arianos, vel Arianorum fautores. Hos ab obstinatis haeresis auctoribus, seductos a seductoribus accurate discrevit; ac oblita omnium praevaricationum, quas ipsi commiserant, quum interfuerant conventiculis Arianorum, eorumque formulis subscripserant, ac cum illis adversus catholicae fidei vindices conspiraverant, una fidei

Nicae-

Nicaenae professione omnia crimina expiari voluit; stetitque pro ipsis contra canonum regulas, ac oppositiones omnes insuper habuit, quas fecerat Lucifer Calaritanus, intempestivus, & nimis ardens canonum vindex, qui episcopos in arianismum lapsos haereticorum versutia, ac minis e sedibus suis detrudi volebat. Sed aliter indulgens mater Ecclesia se gessit. Eos facti poenitentes libenter excepit, eosque permisit in sedibus suis libere consistere; ac ita exoptatam pacem, & unitatem recuperavit. Quoad eos vero, qui Arianam haeresim pertinaciter tuebantur, Ecclesia rursus distinctionem adhibuit inter haeresis auctores, & factionis Arianae capita, & inter eorum discipulos, ac defensores. Omnibus indiscriminatim proposuit Nicaenae fidei subscriptionem; sed non omnibus indiscriminatim retinendi episcopales sedes potestatem fecit. At omnibus diu pepercit, suamque indulgentiam adeo protraxit, ut vix determinari accu-

 rate

rate tempus possit, quo pertinaces Ariani ab Ecclesiae gremio fuerint solemni iudicio reiecti.

VII. Sed nihil magis Ecclesiae mitissimam indolem, eiusque pro recipiendis extraneis curam, indulgentiam, charitatem ostendere existimo, quam historiam Donatistarum. Hominum genus nunquam extitisse puto, qui magis Ecclesiae indulgentiam demeruerint, eademque pertinacius abusi sint. Eorum facinus nulla poterat excusatione minui, nulla tergiversatione obscurari. De rebaptismo doctrinam iam post Cypriani tempora in synodo plenaria universali Ecclesiae iudicio proscriptam revocare ausi fuerant: deinde ab unitate totius Ecclesiae aperto schismate se separarunt; quod ut tuerentur, turpissima quaeque crimina, rebellionem scilicet, populares seditiones, inhumana adversus catholicos flagitia commiserant, ut paulo infra dicemus. Haec omnia praeterivit Ecclesiae charitas. Indomitam eorum superbiam,

perbiam, ac pertinaciam modis omnibus flectere nisa est, eoque magis ad ipsos se inclinare videbatur Ecclesia, quo pertinacius schismati haerebant, magisque adversus eius filios saeviebant. Plures cum ipsis, Augustino duce, collationes habuit, ac propositis liberalissimis conditionibus eorum animos lenire studuit. Iam plures episcopos Donatistae ordinaverant, iisque sedes concesserant, quas catholici episcopi occupabant. Videns Ecclesia nimis durum fore sacerdotibus, & episcopis Donatistis, si cogerentur sedes suas dimittere, ne id impedimento foret unioni sarciendae, Aurelius, caeterique episcopi iudicarunt indulgendum esse Donatistis, ut episcopatus, quos habebant, una cum catholicis retinerent; cumque ex hac concessione consequeretur duos esse debere in una Ecclesia episcopos; id quod adversatur canonum disciplinae, quae singulis Ecclesiis non permittit, nisi unum episcopum praesidere; litteras dederunt Aurelius,

aliique ad caeteros episcopos, ac praesertim ad Pontificem Romanum Anastasium, quibus declarabant vulnus in ea caussa disciplinae canonum inflictum tolerari oportere, ut pax iniretur, quam praeferendam esse dicebant disciplinae canonicae, cum charitas fortius liget, quam canones; longe peius esse insanabile schismatis vulnus posteritati relinquere cum tot animarum pernicie, quam Ecclesiasticas leges infringere; primam legem esse salutem populi, ad quam caeterae omnes referri debent; charitatem denique, quae operit multitudinem peccatorum, multo magis operire quidquid peccatum est adversus Ecclesiae regulas, ut pacis bonum obtineretur.

VIII. Hisce rationibus S. Augustinus, qui auctor fuerat illius consilii, caeteris episcopis persuaserat. Hinc Donatistae ut fratres habiti sunt a catholicis in collationibus Carthaginiensibus, & in epistola, quam Clerus Hipponensis, auctore

ctore S. Augustino, conscripserat ad episcopum Carthaginiensem adhuc schismaticum, appellatus fuit primae sedis Africae episcopus. Tantum valuit pacis amor beatis illis temporibus in episcoporum animis. Immo his finibus se non continuit studium conciliandae unitatis. Nam ea deliberatione, quae suscepta fuerat de duobus episcopis unius Ecclesiae usque ad mortem alterutrius tolerandis, facile contingere poterat, ut plebs christiana uni episcopo assueta hunc ordinem violari non pateretur. Hanc difficultatem perspexerant Africani praesules; sed ea deterriti non sunt. Ut huic obviam irent, consilium ceperunt dignum profecto pastorali charitate, nec unquam a posterorum memoria delendum. Scripserunt scilicet ad Marcellinum, qui Augusti nomine praeerat collationibus Donatistarum, se paratissimos esse ob pacis bonum ad vitandam populi offensionem episcopatum dimittere, ut unus paeesset episcopus Donatista. Aiebant enim se

consecratos fuisse episcopos ob populi salutem, ac ideo ob hanc dimitti oportere, quod eo fine susceptum fuerat: clamabant unitatem esse multo pretiosiorem episcopalibus infulis, & dignitatibus. Videri cuipiam poterit haec indulgentia modum excedere, quae adhibita fuit erga sectarios omnium scelestissimos, ac pertinacissimos. Sed aureis illis temporibus purior charitas animos inflammabat; ac plenius intelligebatur, quam pretiosa esset unitas bonis omnibus praeferenda. In eam sententiam lubentes conspirarunt omnes episcopi numero trecenti, qui collationibus illis intererant, uno vel altero excepto, qui tamen ubi reliquos omnes consensisse noverunt, pudore suffusi propositam ineundae pacis rationem & ipsi probarunt.

IX. Haec quoties mecum animo reputo, toties beatae illius aetatis tenera recordatione me totum commoveri sentio: ac dum oculos converto ad eam agendi rationem, quam a 40. circiter annis Romana Curia

tenet

tenet erga afflictissimam Ultraiectensem Ecclesiam, conclamare cogor: heu quantum ab his maiorum nostrorum exemplis distamus! Res tum agebatur cum apertis haereticis, cum schismaticis, turbulentis, ac factiosis hominibus, qui unitatem fregerant, & Ecclesiam omni scelerum genere, armis etiam, caedibusque vexabant. Nunc vero agitur de episcopis Ultraiectensis Ecclesiae, quorum fides integerrima est, ut ex publicis eorum monumentis constat, praesertim ex synodo Ultraiectensi typis edita, & ubique vulgata, cui nihil hactenus opponi potuit, vel minimi erroris, & quam esse orthodoxam vel ipse Clemens XIII. testatus est. Agitur de episcopis, quorum doctrinae nihil huc usque obiectum est vel ab infensissimis eorum hostibus, nisi vaga illa Iansenismi calumnia, quae iam a pluribus annis consuevit a novarum opinionum patronis impingi ad invidiam conflandam viris egregie catholicis, & antiquae doctrinae vindi-

cibus

cibus, & quae toties contrita est, & elisa infinitis propemodum saniorum Theologorum lucubrationibus, ac vel ipsorum Romanorum Pontificum decretis, ut mirum sit quosdam esse aetate nostra expudoratae frontis homines, qui quasi nihil super hac re dictum esset, putidam hanc calumniam vetustate enervatam, spretam a doctis, risu ab indoctis exceptam arrogantissime, & calumniosissime refricare non desinunt. Illud certum est quocumque demum modo haec de Iansenismo, Quesnellismo ec., quaestio accipiatur, hanc nihil ad fidem spectare. Quare certum est, vel ipsa Roma non diffitente, nullam esse inter ipsam, & episcopos Ultraiectenses in fidei summa dissensionem.

X. Sed his sepositis, quae ad doctrinam pertinent, de iure Ecclesiae Ultraiectinae controversia cum Romana Curia orta est. Cum mutata rerum facie in ea regione mutata religio fuit, vetustissima illa Ecclesia in fide catholica permanens

innu-

innumeris malis oppressa, propriis bonis orbata, undique iactata tempestatibus, subsidium, solamen, opem merebatur. Atqui in his circumstantiis Curia Romana afflictis afflictionem addens originario episcopatu eam Ecclesiam privavit, iuribusque capituli, & Ecclesiae, ut dici solet, matricis, eamque in puram, ut aiunt, missionem convertit, adhuc vivente archiepiscopo, & ad suos remeante e propria sede deiecto. Inde dissidium ortum est. Nam miserrima illa Ecclesia ferre non potuit nativo episcopatu, propriisque pastoribus privari, & alienis committi Missionariis a Congregatione de propaganda fide illuc proficiscentibus. Hinc diu proprium episcopum petiit, missis Romam legatis, & oratoribus, interpositis aliorum precibus, omnibusque mediis adhibitis, ut Romanam Curiam ad aequitatem flecteret. Sed nihil prorsus impetratum. Inflexibilis semper fuit Romanorum animus. Semel iacta sententia revocanda non erat. Ergo ad

angu-

angustias redacta infelix Ecclesia opem aliarum Ecclesiarum imploravit. Ad vicinos episcopos, clericos, atque presbyteros ordinandos mittebat, ut essent deinceps naturales Ecclesiae Pastores. Sed demum episcopi contermini Romanorum iras metuentes ordinationes facere recusarunt. Quare alio se convertere coacta est. Celebriorum Universitatum, & insigniorum Canonistarum, Parisiensium, Lovaniensium, aliarumque regionum consilia, ac vota imploravit; atque his freta post diuturnum tempus, compulsa necessitate, ut rebus suis consuleret, Archiepiscopum Ultraiectensem per capitulum, cui iure electio spectabat, sibi adscivit. Sed distulit ipsius consecrationem, sperans fore, ut tandem infelicis suae conditionis Roma misereretur. Sed spes fefellit. Curia Romana obstinatius haesit proposito. Archiepiscopum noluit agnoscere, sed eum ut refractarium, & schismaticum habuit, eosque omnes, ut inobedientes, rebelles, schisma-

ticos,

ticos , excommunicatione innodatos declaravit , qui episcopis parerent a capitulo Ultraiectensi electis . Ab hisce decretis appellationes Clerus Ultraiectensis interposuit , suosque episcopos eligere de more veteri , & consecrare perrexit ; nuntiata Romam eorum electione , ac petita semper confirmatione , ac totidem habitis a Romana Curia excommunicationis sententiis ; quarum duae postremae iactae sunt sub Pio VI. Pontifice Regnante ; una , quum archiepiscopus Ultraiectinus ad ipsum epistolam dedit , qua de ipsius ad Pontificatum assumptione cum ipso gratulabatur , suique , ac Cleri sui communionem cum Apostolica sede testatam faciebat ; altera , cum ei nuntiavit obitum episcopi sui suffraganei , ab eoque petiit , ut contraquam statutum fuisset Nicaeno canone , per dispensationem consecrari posset episcopus non a tribus , qui non aderant , sed a duobus tantum episcopis . In hoc statu res positae sunt , & adhuc manent ,

discer-

discerpta interim in varias partes illius regionis Ecclesia, bellum intestinum moventibus Missionariis adversus proprios, ac naturales Pastores, abstrahentibus ab eorum sinu plebem christianam, & maximum paroeciarum numerum occupantibus. Sic intus, & extra misere a tot annis iactatur nobilissima Ecclesiae pars, quin ulla spes affulgeat sarciendae cum Romana Curia concordiae tamdiu exoptatae, ac modis omnibus conquisitae.

XI. Hanc agendi rationem qui conferet cum ea, quam tenuerunt Africani episcopi adversus Donatistas, facile intelliget me non sine ratione dixisse nos distare longissime a maiorum nostrorum exemplis. Africae episcopi apertissimos haereticos, ut ad se pertraherent, sollicite curabant. Romani repetitis excommunicationis ictibus episcopos egregie orthodoxos a se repellunt. Illi a se fugientes unitatis, & pacis hostes benigne sequebantur, eosque linire, & ad concordiam

cordiam

cordiam componere satagebant. Isti unitatis, ac pacis studiosissimos, concordiam enixe petentes, ad ianuam pulsantes non solum non audiunt, sed longius reiiciunt. Illi ut pacem inirent, plures collationes indixerunt cum Donatistis, & opem Augusti non semel implorarunt, ut paci restituendae studeret. Isti nullam cum orthodoxis episcopis pacis tractationem inire volunt, vel abrumpunt vix inceptam, obsurdescentes precibus mediatorum, ac vel ipsorum Principum per legatos suos non semel interpositis officiis. Illi a schismate revocare conabantur, qui catholicos episcopos e sedibus suis detruserant, ac per caedes, ac vim sibi eas arrogaverant. Isti quantum in ipsis est schisma facere ab iis aggrediuntur, qui non alienas sedes surripiunt, sed propriam sedem adversus alienos tuentur. Demulcebant modis omnibus Praesules Africani superbos canonum violatores, perturbatores Ecclesiasticae disciplinae, & sacri-

legos

legos Ecclesiarum invasores. Exasperant Romani modis omnibus canonum defensores, Ecclesiasticae disciplinae vindices, & Ecclesiarum iura originaria tuentes. Illi ut Donatistas ad unitatem reducerent, vel ipsos canones violari passi sunt, duosque unius Ecclesiae episcopos esse permiserunt. Isti a se separant, qui secundum canones unum episcopum postulant, ut uni praesit Ecclesiae, nec recentes Curiae mores adversus antiquam totius Ecclesiae disciplinam longe utiliorem volunt admittere. Illi denique ut quoquo modo pax sanciretur, proprium episcopatum dimittere paratissimi erant. Isti vero nec parcere quidem voluerunt archiepiscopo Ultraiectino, qui se paratum esse dixerat archiepiscopatum dimittere, dummodo sine Ecclesiae suae interitu exoptata concordia firmaretur.

XII. Scio Romanos caussationes quasdam afferre, quibus odium, & exsecrationem declinent. Aiunt extinctam esse Ultra-

Ultraiectinam Ecclesiam, scilicet episcopos, clerum, & plebem, cum Ecclesia non sit nisi plebs pastori suo adunata. Sed quod mirum est, id sustinent Romani adversus episcopos loquentes, & adversus clerum, ac plebem conclamantem Ecclesiam suam, quae ex his coalescit, non esse interemptam. Sed lacrimabilem illius Ecclesiae historiam texere animus non est. Legi possunt de hoc argumento innumera, quae prodierunt opuscula, ac inter caetera additio postrema facta operibus Vanespenii de iure canonico. Nobis satis est innuisse eiusmodi comparationem, ut quoniam occasio sese obtulit, intelligeremus, quantum a primis Ecclesiae temporibus nostra dissideant, & quam diversus sit zelus, quo flagrabat animus maiorum nostrorum ab eo, quo plerique aetatis nostrae inflammantur, cum illi toti essent in haereticis, atque schismaticis ad Ecclesiae fidem, & unitatem revocandis, plerique vero nostrorum toti esse videantur in

schismate promovendo, & in iis, qui intus sunt, extra Ecclesiam pellendis. Caeterum cogitandum non est, hunc esse spiritum universalis Ecclesiae, in qua eadem charitas, eadem moderatio, idemque unitatis studium sive apud plures, sive apud paucos semper perseverat. Quare etiam nunc agendi ratio, quam Curia Romana tenet adversus Ultraiectinos, improbatur a multis, cum sacerdotibus, tum episcopis oculatioribus, ac prudentioribus, qui propterea conditionem illius Ecclesiae summopere dolent, eique fraternae charitatis plenas epistolas, ac mutuae communicationis argumenta ad ipsius solatium dederunt, ut constat ex monumentis in lucem editis, quae ad sui defensionem Ecclesia illa non ita pridem collegit, atque vulgavit. Quae sane cum dico, nollem, ut a plerisque Romanae Curiae assentatoribus fieri solet, me accusari odii, animique malevoli erga Romanos. Testem Deum appello, me haec

solum

solum dixisse tactum dolore cordis intrinsecus ob infelicissimam illius Ecclesiae conditionem, ac statum, atque amore ac reverentia ductum erga ipsam Ecclesiam Romanam, cui tamquam unitatis centro indivulse adhaereo, semperque adhaerere gloriabor. Cuperem enim vehementissime, ut ipsa curialium suorum maculam elueret, eorum scilicet duritiem emolliret, eosque ad pristina moderationis, & charitatis exempla revocaret. Quod sane conduceret non solum ad illius Ecclesiae diu iactatae tranquillitatem ac pacem, sed etiam ad aedificationem fidelium, ad scandalum haereticorum removendum, atque ad plenum christianae charitatis triumphum. Ea nunquam excidant aurea Patrum dicta, quae saepe inculcavimus: charitatem operire omnia, salutem populi esse primam legem, bonum pacis, ac unitatem omnibus praeferri oportere.

XIII. Huc semper Ecclesiam Christi spectasse iam vidimus. Pluribus id posset

confirmari exemplis . Sed nolo per singula excurrere , ne longior sim . Ecclesiae spiritus iam satis intelligitur ex primis illius saeculis , quibus ille & minus remotus ab eius origine , & in Ecclesiae flore robustior evidentius se prodidit . Caeterum hunc semper magis minusve in Ecclesia fuisse , historiae ecclesiasticae monumenta testantur ; ut ex iis facile colliget , quicumque ea attente considerabit , ac spiritum columbae Christi, collatione facta cum vetustis exemplis , sciet internoscere a privato hominum spiritu , qui saepe se rapi sinunt ab animi aestu , quem cum veritatis amore confundunt . Hac distinctione facta videbit ex. gr. hunc spiritum lenitatis , ac pacis intermicuisse in miserabili orientalis Ecclesiae a latina secessione , quamvis ea inciderit in tempora plena obscuritatis , atque teporis . Scissuram factam ab orientalibus doluit Ecclesia latina , atque illius turpitudinem sub oculos orientalium ponere conata est . Pro concordia ineunda

Con-

Constantinopolim litteras, & legationes misit, atque in sinu suo libere Graecos consistere voluit, qui latinos excommunicationis sententia a sua communione seiunxerant. Eam quam potuit cum orientalibus communicationem diu servavit, donec schisma consummatum penitus fuerit sub Michaele Caerulario. Sed nunquam desiderium ineundae pacis dimisit. Haec saepius tentata; aliquando impetrata; mox interrupta, iterumque suscepta. In Florentina synodo plures habitae Latinorum cum Graecis collationes; discussae sententiae fuerunt. Ritus Graecorum latina Ecclesia probavit, eorumque fidei professionem suscepit. Nihil non indultum quod salva fide permitti poterat. In controversiae capitibus spectata est fidei substantia, caeteris omnibus sepositis. Indultum Graecis etiam fuit, ut ad sua redeuntes omitterent in solemniis Missarum particulam *filioque* additam symbolo, quae iis displicuerat. Restituta pax fuit. Novae deinde

 tur-

turbae excitatae, iterumque perturbata concordia. Sed huius iterum sarciendae spem fortasse, desiderium nunquam amisit Ecclesia.

XIV. Quid pariter Ecclesia non egit in teterrimo illo schismate, quod maximam septemtrionis partem ab ea separavit! Ingemuit sponsa Christi super filiorum suorum interitu; omniaque subsidia imploravit, quibus ad se reducere transfugas posset. Preces adhibuit, mediatores quaesivit, Theologorum, ac Principum opem exoravit. Cum vero intelligeret abusiones innumeras, superstitiones, ac vitia turpissima, quae faciem Ecclesiae deturpaverant, occasionem schismati dedisse, his removendis sedulo incubuit; atque in Concilio Tridentino congregata ea pro temporum conditione extirpare sategit, vel ipsius Romanae Curiae plures abusus sustulit, & aliorum etiam removendorum desiderium monstravit, ut impedimenta minuerentur reconciliationis faciendae. Errores

rores Novatorum clare confixit ; sed ut ad synodum venirent , semel & iterum eos invitavit ; ac in ipsis proscribendis erroribus personas parcius tractavit , eorumque nomina silentio praeterivit . Si mitissimam piae matris indolem imitati fuissent illius aetatis Theologi , & qui in sui subsidium pugnabant ; si Romana Curia votis ipsius annuisset ; fortasse schisma , si non extinctum , saltem imminutum multo fuisset . Haec , quae leviter indicavi , satis ostendunt , quo spiritu semper animata fuerit Ecclesia Christi adversus extraneos , & qua ratione se gesserit , ut eorum saluti consuleret .

CAPUT X.

Ostenditur, quantum Ecclesiae Christi spiritui repugnet ea potestas, quae ab intolerantibus eidem asseritur plectendi hostes fidei corporalibus poenis.

I. Quae cum ita sint; iam quisque intelligit nihil magis opponi indoli, atque spiritui Ecclesiae christianae, quam eorum sententiam, qui dicunt Ecclesiam posse in rebelles exilio, carceribus, aliisque poenis, ne morte quidem exclusa, animadvertere. Semper miratus sum inhumanam hanc opinionem rudioribus saeculis natam, altamque inter ferocia populorum ingenia, malisque temporibus bellorum, caedisque plenissimis non solum tam late propagari potuisse, ut propagata fuit, nec solum pro patronis habuisse plerosque pios, ac doctos viros, sed adeo firmas

egisse

egisse radices in hominum mentibus, ut etiam nunc, licet fulgente purioris doctrinae luce, & ad nos redeunte venerandae antiquitatis spiritu, ea multis insideat, ac propugnetur. Cum enim historia humani generis notum sit, habere aetatem quamlibet peculiarem veluti notam in aliquo rerum genere, qua a caeteris distingui solet, & qua facillimum est eum quodammodo tingi, qui ea aetate vivit, mirum non est moribus saeculi infici etiam ecclesiasticos, qui licet religioni addicti, homines tamen esse non desinunt. Quo factum esse videmus, ut in pluribus ecclesiasticae disciplinae capitibus status Ecclesiae ad normam status rerum civilium compositus fuerit; ut videre est inter caetera in electione ministrorum Ecclesiae, & in varia beneficiorum ecclesiasticorum fortuna. Quare cum constet fuisse calamitosa ea tempora, quibus, dissecto in varias partes Romano imperio, ac tota pene Europa dissidiis, bellisque conflagrante, homines ad arma,

& ad

& ad saevitiem nasci videbantur, omniaque vi armorum definire solebant, intelligi facile potest, potuisse paulatim etiam religionis negotia ea ratione tractari, qua res quaeque civiles de more illius aetatis administrabantur; ac ita invalescere absurdam opinionem, qua creditum est homines vi cogi posse vel ad suscipiendam, vel ad retinendam religionem semel susceptam. Inde ortae sunt aliquae christianorum Principum leges, quibus iussum est per vim populos baptizari. Talis inter alias fuit lex Sisebuti Regis Hispaniarum merito reprobata a synodo Toletana IV.: talis etiam fuit lex Caroli Magni ad devictos Saxones, & Hunnos data, quae sanctioribus, ac doctioribus illius aetatis viris iure displicuit. Hoc praepostero religionis propagandae studio aliquando duci Principes potuisse non miror. Illud miror a quibusdam temporum nostrorum Theologis, ac Canonistis adhuc defendi, & ea ratione defendi, quod & Ethni-

Ethnicis olim licuerit christianos occidere; quasi nostris liceat vices rependere, eos necando, qui nolint esse catholici. Quo sane in argumento nescio, an magis se prodat inscitia, vel doctrinae perversitas.

II. Ab his antichristianis principiis abhorret quicumque novit religionis nostrae naturam, quae non, ut Mahumetana, armorum vi propagatur, sed vitae exemplo, doctrina, miraculis propagari hanc iussit eius institutor, qui cum pro suae voluntatis arbitrio possit hominum corda convertere, gratuitum esse voluit fidei donum, ut inde discerent Principes huius saeculi non esse homines trahendos invitos ad fidem, sed persuasione; non esse vim inferendam, sed expectandam a Deo gratiam, quae piam animi credulitatem inspiret; eumque divinae ordinationi resistere, qui homines per vim adducit ad religionem, quae nullum excipit nisi credentem; nullus autem credit nisi volens. Qui vero per metum ad religionem

nem trahitur, is non vult, sed simulat religionem suscipere. Quod sane nullo iure permittitur. Quod adeo verum est, ut vel ipsum ius belli, quo latius ius nullum patet, ad hanc moderationem iure divino, ac naturali praescriptam exigant Grotius, Barbeiracus, aliique iuris naturae, ac Gentium interpretes; ut propterea qui aliter sentiunt, nec religionem, nec iura rite novisse dicendi sint, sed habendi potius, ut imprudentes, ac fanatici, qui non animadvertentes hominum salutem procurandam esse, non contra, sed iuxta Dei voluntatem, cuius idcirco leges violandae non sunt in gratiam salutis aliorum, huic per fas, ut dici solet, ac nefas consuli posse arbitrantur. Qua in re id proprie consistit, quod dicitur fanatismus.

III. In hanc opinionem non tam religioni, quam rationi naturali iniuriosam homines descenderunt, quod obliti divinae institutionis, ac indolis religionis nostrae

eam veluti politicae partem considerarunt; eiusque res ad instar rerum civilium tractandas esse opinati sunt. Scilicet ut diximus, humanae societatis naturam cum indole religionis permiscuerunt, ac ita facta turpissima rerum humanarum, ac divinarum confusione, quod humanum est, & moribus gentium tractatur, pro regula sumptum fuit religionis administrandae. Sic ex idea rebellionis adversus Principem metiti sunt haereticorum crimen; qui cum rebelles Ecclesiae dicantur, quod ingressi per baptismum in ipsam foras exierint quasi desertores, & adversus ipsam vexillum erexerint; hinc per vim cogi ab Ecclesia posse creduntur, & ea ratione plecti, qua solent a Principe rebelles, ac desertores puniri; nec vident dum ita ratiocinantur se res plane diversas simul confundere, eoque vitio laborare, quod a Logicis dicitur transitus de uno genere ad aliud. Nam dum quis baptizatur, Ecclesiae ut mem-

brum

brum corpori coniungitur, eique inhaerens iure fruitur sacramentorum, ac bonorum omnium spiritualium, quae sunt in Ecclesia. Ergo cum foras exit, ius illud amittit, vel eo privatur, quod per baptismum acquisiverat. Hoc autem ius spiritualia tantum respicit, non temporalia. Cur ergo tortores adhibeantur, carceres, exilia, bonorum temporalium iactura, ergastula, mors, quae sunt plane diversi generis, ac res spirituales, aliumque rerum ordinem, civilem nempe, respiciunt, non vero ecclesiasticum? At enim haereticus Ecclesiae subditus fuerat: per apostasiam a fide rebellis factus est. Fateor. Sed subditus erat in iis, quae ad Ecclesiam pertinent, scilicet in bonis spiritualibus. Antequam esset christianus, civis erat, suaque bona iure legum civilium possidebat. Nihil cum his commune habet Ecclesia. Ergo per apostasiam excidit ab eo bonorum genere, quibus tamquam Ecclesiae membrum fruebatur; sed excidere

nequit

nequit ab iis bonis, quae possidebat ut civis, quaeque non cadunt sub potestate ecclesiastica, quae finibus rerum spiritualium continetur, nec temporalia iure suo potest attingere. Quandonam Christus Ecclesiam suam opibus, potentia, armis instruxit, ut hanc potestatem in rebelles, ac contumaces filios exerceret? Id totum quod est Ecclesiae, poenarum spiritualium finibus continetur; ac propterea vim suae potestatis excedit, cum ipsa in haereticos poenis temporalibus animadvertit. Quod enim dicunt hanc potestatem exerceri ab Ecclesia per Principes saeculi, suo loco explicabitur.

IV. Hic adnotare sufficiat Ecclesiae spiritum semper abhorruisse ab hac agendi ratione adversus haereticos. Novit ipsa neminem esse cogendum, ut intret, nec ullum esse cogendum, ut redeat. Novit vim externam esse prorsus alienam ab indole religionis, eiusque institutoris praeceptis. Didicit Christum misisse Apostolos

suos

suos, ut euntes in universum mundum praedicarent Evangelium omni creaturae, non ut mactarent, ac perderent inobedientes: eosque misisse sicut oves inter lupos, ut persecutionem paterentur, non ut eam facerent. Totum qua late patet Christi Evangelium, non sapit nisi lenitatem, patientiam, mansuetudinem animi. *Discite a me*, ait Christus, *quia mitis sum, & humilis corde*; seque tamquam agnum proposuit, qui ducatur ad mortem, quin aperiat os suum. Poterat ipse, si voluisset, per miracula compescere Sadducaeos, Pharisaeos, aliosque, qui non moribus solum & hypocrisi, sed etiam sententiarum falsitate populum seducebant, & cum ipsi essent caeci, erant duces caecorum cadentium cum ipsis in foveam, & claudebant regnum caelorum ante homines, & non intrabant ipsi, nec introeuntes sinebant intrare; poterat, inquam, hos severitate poenarum saltem perterrefacere, ne adversus ipsum, eiusque doctrinam

ctrinam turbas moverent, ac populum concitarent. Habebat sibi obsequentes legiones Angelorum; omnia obediebant ei. Atqui nihil horum fecisse legitur. Hostes quidem doctrinae suae gravissime redarguit; eorum hypocrisim, & impietatem detexit: praedicatione, doctrina, ac miraculis in eorum conspectu patratis eos pudore suffudit. Sed omnia miracula, quae ipse faciebat, in aliorum salutem direxit; per eos non occidebat, sed sanabat. Corporis sanitatem afferebat, quaerens salutem animi: nullum ab ipso in aliorum destructionem miraculum factum fuisse novimus. Nimirum exemplo suo voluit ostendere se non venisse animas perdere, sed salvare. Quod quidem non terrore poenarum, sed persuasione, atque doctrina, & in spiritu lenitatis, ac mansuetudinis praestandum erat. Hinc ubique clamat beatos esse mites, misericordes, pacificos: iubet diligendos esse vel ipsos inimicos; patientissime tolerandas

iniurias, easque supremo iudici dimittendas; bonum pro malo reddendum, vincendum in bono malum, ac benedicendos, qui nos maledixerint. Docuit discipulos suos rationem, quae tenenda erat adversus impios, & persecutores. *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam*, non dixit tumultus esse excitandos, confugiendum ad potentiores Principes, ut contumaces ad officium, atque ad fidem reducant. Nihil horum dixit, sed fugam tantum permisit. Cumque vel ipse Christus fuisset a Samaritanis, ad quos ire proposuerat, inurbane repulsus, & ab Urbis ingressu prohibitus, vim non adhibuit, ut schismaticorum contumaciam frangeret, sed ivit cum discipulis suis in aliud castellum; immo cum indignati discipuli ultionem quaererent dicentes: *vis dicimus, ut ignis descendat de caelo, & consumat illos*; eorum iras acri reprehensione compescuit dicens: *nescitis cuius spiritus estis? Filius hominis*

non venit animas perdere , sed salvare . Et abierunt in aliud castellum . Quo sane satis ostendit qua ratione agendum sit cum hostibus fidei , & quam longe differat antiquae legis spiritus ab eo , quo animandi erant in nova ipsius discipuli , qui ignem de caelo petere proposuerant ad exemplum Eliae , a quo idem factum fuisse legitur . Quid hoc facto luculentius afferri possit , non video . Hic enim agebatur de schismaticis , & haereticis . Nam Samaritani dereliquerant templum Hierusalem , quod sibi Dominus elegerat , ut illuc omnes proficiscerentur ad cultum ei exhibendum , ac super montem Garizim aliud templum extruxerant . Erant insuper haeretici , & idololatrae , quoniam ad Deos defecerant ; quare Christus cum mulierem Samaritanam alloqueretur , aiebat : *vos adoratis , quod nescitis : nos adoramus , quod scimus , quia salus ex Iudaeis est* . Rursus Christum reiecerant Samaritani religionis caussa .

 Nam

Nam non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Ignem demum de caelo petere volebant Apostoli, sicut olim fecerat Elias. Eo sane nihil aptius esse poterat ad convincendos Samaritanos. Ignis enim de caelo per miraculum delapsus plus valuisset in eorum animis, quam valeant poenae temporales ab hominibus inflictae. Exemplum etiam Eliae eorum petitionem corroborabat. Atqui tamen Christus severitatem discipulorum suorum adversus errantes acriter redarguit, eaque ratione redarguit, quod ipse venisset *non animas perdere, sed salvare*. Ac ne demum veteris legis exemplis Apostoli moverentur, admonuit eos esse debere *alterius spiritus*, lenitatis scilicet, atque mansuetudinis, ut olim fuerat sub veteri lege spiritus timoris, ac servitutis. Igitur mentem suam clarius quam fecerit non potuisset Christus exprimere circa rationem agendi, quae adhiberi debet adversus extraneos.

V. To-

V. Totum pene Evangelium exscribi oporteret, si singula recensere vellem, quae ad propositum faciunt. Hac sane exempla, dicta, parabolas innumeras direxit sapientissimus morum magister. Ipse se obtulit persecutoribus suis, nec legiones Angelorum, quas advocare potuisset, adhibuit ad vim repellendam; immo Petrum gravissime reprehendit, quod gladio voluisset magistrum suum adversus iniustos persecutores defendere. Vel ipsum Petrum qui eum negaverat, ac negationem periurio firmaverat, non poena temporali cohibuit, sed unico intuitu eius animum flexit, & admissi sceleris monuit. Hunc sane spiritum adversus ipsius hostes ut ut contumaces, ac sceleratissimos semper commonstravit, & usque ad mortem retinuit. Hunc ubique discipulis in exemplum proposuit. Hinc saepe pastoris parabolis usus est, ut ostenderet se pabulo doctrinae ovibus suis praeire, non illas cogere; eas pastorem sequi, quoniam vocem eius cognoscunt, non a pastore

compelli verberibus, ut cum sequantur; persequi quidem fugientem ovem, sed eam voce, lenitate, patientia allicere, ut ad se redeat, ac redeuntem super dorsum suum ad ovile transferre.. His omnibus inculcare, voluit neminem invitum trahi oportere ad Christum, sed volentem. Hinc cum & aliqui eius discipuli audito quodam sermone ab illo recessissent, eos non est insectatus, non concitavit in illos caeteros discipulos suos, non fidei quaesitores misit, ut eos ad se redire compellerent, sed relicta iis discedendi facultate eam quoque reliquis proposuit, quum in eos conversus interrogavit dicens: *numquid & vos vultis abire?*

VI. Hanc profecto doctrinam discipulorum mentibus semper imprimere studuit verbo, & exemplo, cum ipse mortalem vitam inter ipsos ageret. Hanc veluti haereditariam Evangelii sui notam post resurrectionem ipsis reliquit, antequam ad caelos ascenderet. His praeceptis

ceptis, & institutis formati Apostoli fuerunt, qui propterea nihil aliud unquam opposuerunt hostibus fidei, nisi patientiam, lenitatem, mansuetudinem. Fuerunt sub initium Ecclesiae plures haeretici, ac Pseudo-Apostoli, quorum sermo ut cancer serpebat, & corrumpebat corda multorum, qui universas domos subvertebant, docentes, quae non oportet, & fascinabant fideles, ne obedirent veritati. Quorum falsis doctrinis multi cesserunt; & naufragium fecerunt in fide, ut patet ex epistolis ad Galatas, & ad Timotheum. Quid autem facilius erat Apostolis, quam eos miraculis compescere, ac contumaces de medio tollere, ne fructum Evangelii impedirent, sicut ad puniendum mendacium fecerat Petrus cum Anania, & Zaphira? Ipsi sane dono miraculorum potiebantur, quo eos munire Christus voluit in aedificationem Ecclesiae. Hinc & aiebat Apostolus in 2. ad Cor. *arma militiae suae* non esse infirma,

sed fortia per Deum *ad destructiònem munitionum &c.* se habere potestatem a Christo *durius agendi* . Noverant tamen ipsi se hanc potestatem accepisse, ut idem ait Apostolus, *in aedificationem*, *&* *non in destructionem* . Hinc nunquam eadem usi sunt ad interimendos haereticos, & seductores. Sciebant ipsi, cuius spiritus essent, cuius essent Apostoli. Sciebant propagandam esse religionem iuxta Christi mandatum non caedibus, non armis, sed praedicatione & doctrina, verbo & exemplo. Ex quibus patet quam futilis sit eorum responsio, qui ut vim declinent argumenti sumpti ab exemplo Christi, & Apostolorum, dicunt nec Christum, nec Apostolos corporali poena in hostes fidei animadvertisse, quod sub Principibus existentes diversae religionis subsidiis carerent, quibus id exsequi possent. Quae sane subsidia sibi comparavit Ecclesia, cum Principes saeculi fidem amplexi ipsius tutelam susceperunt.

VII.

VII. Nam praeter ea, quae nuper dicebamus, incredibile prorsus est noluisse Apostolos de hac potestate suo tempore exercenda Ecclesiam commonefacere, cum ageretur de re maximi momenti, de ratione scilicet religionis administrandae, fovendae, ac conservandae, ut sin minus illius, saltem futurae Ecclesiae statui providerent. Atqui in omnibus instructionibus, quas Apostoli praebuerunt successoribus suis, nulla mentio legitur huius potestatis. Iis quidem enixe commendarunt mansuetudinem animi atque patientiam. Hortati sunt, ut fidelibus praeessent exemplo in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; ut lectioni attenderent, praedicationi, doctrinae; ut ita potentes essent fideles instruere, & eos qui contradicunt arguere. Sed nullibi de interimendis haereticis vel unum verbum dictum est. Undenam igitur fluxit in Ecclesiam haec potestas? E quibus fontibus in eam derivavit? Rursus si ea fuisset

Chri-

Christi & Apostolorum mens , ut adulta Ecclesia ope Principum christianorum sibi eam potestatem adsciscerct , sic reddi deberet verborum Christi sententia . „ Ecce „ ego mitto vos sicut oves in medio lupo„ rum , donec potestates saeculi vobis ad„ versentur ; at cum religionem amplexae „ fuerint , ipsi ex ovibus repente facti „ lupi inimicos fidei mactare debetis ac „ perdere . Si persecuti vos fuerint in una „ civitate , fugite in aliam , quo usque „ resistendi vires deficiant ; sed resistite , „ interficite , perdite , cum proprias habue„ ritis potestates . Estote patientes , red„ dite pro malo bonum , vincite in bono „ malum , donec nocendi vires defuerint , „ reddituri postea malum pro malo , ubi „ nacti fueritis arma , tortores , carnifi„ ces . Mementote vos mitti non in perdi„ tionem , sed in salutem animarum ; sed „ moneo , ut cum secunda fortuna iuve„ rit , si contumaces homines fuerint , si „ a vobis recesserint , eorum corpora per-

„ datis ,

„ datis , & animas . Utimini praedicatio„ ne , instructione , & contradicentes ar„ guite , atque increpate in omni patien„ tia , & doctrina . Sed quando facultas „ erit , his addite mutilationes membro„ rum , addite exilia , carceres , erga„ stula , cruces „ .

VIII. Quis non exhorreat novum hoc Evangelium ? Quis eo non videt a fundamentis everti Iesu Christi doctrinam , eiusque spiritum penitus evacuari ? Quis immo non intelligit prorsus obscurari splendissimum illum characterem , quo se prodit divinitas religionis christianae ? Tritissimum est argumentum tum apud veteres Patres , tum apud recentiores religionis vindices , quo ostenditur divinam esse religionem nostram , quod non armis , opibus , potentia saeculi , ut caeterae sectae , propagata fuerit , sed in spiritu lenitatis , persuasionis , atque patientiae , eodemque spiritu creverit , & conservetur habens firmissimas promissiones Dei . Porro

ro huius argumenti vis tota intercidit, si liceat per vim cogere infideles ut credant, & apostatas ut redeant. Nunquid alia esse debuit religionis sub initium propagandae ratio, & alia successu temporis? Nunquid alio spiritu propaganda est, & alio conservanda erit? Saepe obiectum est infidelibus, & mahumetanis, cum in christianos saeviebant, nimis iniustum esse torqueri christianos, quod nollent susceptam religionem deserere; in religionis negotio vim minime esse adhibendam; nec sine maxima absurditate credi posse hypocrisin, adorationem coactam, cultumque adversus propriam conscientiam adhibitum esse veros pietatis, ac religionis actus. Atqui haec eadem in nos retorqueri merito possunt, ubi posueris Ecclesiae fas esse vim adhibere in hostibus fidei convertendis. Nam quod dicitur nos pro veritate pugnare, eos autem adversus veritatem, difficultatem minime solvit. Quilibet enim suae sectae adhaerens sibi videtur pro veri-

tate

tate pugnare. Quare si licitum est religionis caussa vim dissentientibus adhibere, errabunt extranei, ut aiunt, in facto, sed iure suo legitime utentur. Probandae igitur erunt & infidelium, & haereticorum persecutiones in nostros, si nobis liceat infideles, & haereticos per vim insectari. Quis autem sine impietate cogitaverit voluisse Christum tam absurdum systema compingere, ex quo mutuas populorum caedes, atque perniciem probari consequeretur? Ergo merito asserui inhumanam hanc sententiam, de qua loquimur, totum Iesu Christi Evangelium, eiusque spiritum evacuare, atque subvertere.

IX. His autem positis nihil moror ea verba, in quibus vim aliqui faciunt, sumpta ex Lucae cap. 14. vers. 13. *compelle intrare*, quasi nempe per illa vim hostibus fidei adhibendam esse Christus insinuaverit. Proposuerat ibi Christus parabolam cuiusdam hominis, qui fecerat coenam magnam, & plures ad eam invitaverat, qui

cum

cum se excusarent, ne ad illam accederent, iussit servo, ut exiret per plateas & vicos, & omnes cuiusvis generis homines introduceret, & compelleret intrare, ut impleretur domus sua. Plura de hoc testimonio multi scripserunt: sed multa afferre non est opus in re tam perspicua. Sane si parabolae inhaereas, non video quid cogat nos eam vim interpretari per verbera, corporis flagellationes, mutilationes membrorum, aliaque exteriora supplicia. Haec potius adhibenda fuissent adversus eos, qui cum essent ad coenam invitati, venire noluerunt; nec enim iis opus fuisse videtur, ut ad coenam magnam introducerentur pauperes, debiles, caeci, & claudi, qui sane vix invitati sponte venissent. Quare cum videns dominus adhuc locum esse in domo, dixit servo; *compelle intrare, ut impleatur domus mea;* nihil prohibet, quominus intelligamus iussisse dominum servo, ut attentius inquireret, ac neminem praeteriret, & siquem recusantem

inve-

invenisset, precibus, hortationibus urgeret, impelleret, non mactando, non occidendo, sed fortiter sollicitando, &, sicut fieri solet, opportune, & inopportune urgendo, ut ad coenam accederet. Quibus verbis in hunc sensum acceptis respondent in religionis negotio ea Apostoli verba: *argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Quod si per ea verba *compelle intrare*, verbera, flagellationes, corporisque supplicia, novam sane ad coenam invitandi rationem, intelligas, tunc debes animadvertere usitatam regulam esse, non omnia, quae in parabolis sunt, ad id quod significatur, transferri oportere, sed ea tantum, quae rei significatae convenire possunt, ea quidem ratione, quam rerum natura, & indoles exigit, quae inter se comparantur; qua posita regula unicuique notissima, cum ea parabola ad religionem transfertur, facile percipitur vim indicari, quae intellectui sit inferenda, non corpori; agitur enim de religione, quae vim non

pati-

patitur ; quae non suscipitur nisi persuasione intellectus. Quid ergo verbera, quid caedes ad fidem suscipiendam, quae si cogitur, fides amplius non est? Intellectui autem vis infertur suasionibus, praedicatione, doctrina, miraculis, argumentis. Haec ergo adhibenda Christus significavit per eam parabolam, ut homines ad fidem traherentur. Atque hunc in sensum ea verba semper interpretati sunt Patres, ut paulo infra videbimus.

X. Neque pariter morabor in explicandis veteris legis exemplis, quibus plerique abutuntur ad obscurandam veritatem, quam propugnamus. Vidimus enim longe differre spiritum veteris legis ab eo quem habet religio christiana. Id Christus expresse declaravit, ut diximus, discipulis suis, quum ignem de caelo peterent adversus Samaritanos. Quare exemplum Eliae nec facit ad rem, neque ad imitationem nobis proponitur in sacris litteris. Quamquam dicere possumus falsos Prophetas,

tas,

tas ; quos Elias interemit, fuisse malae fidei homines, qui dedita opera, ac scientes, volentesque populum seducerent. Quo in casu ultro fatemur seductorem per poenas ab iis ad quos id spectat coerceri posse, ac debere.

XI. Rursus peculiaris ratio praeter ea, quae dicta sunt, afferri potest, qua factum est, ut secundum legem Moysis crimina adversus fidem ac religionem morte corporis expiarentur. Nam Deus erat Israelitici populi non solum Dominus in iis, quae ad religionem pertinent, sed etiam Rex, Dux, & Caput reipublicae in iis, quae spectant ad societatem politicam, & civilem. Hinc regimen reipublicae Iudaeorum consuevit appellari Theocraticum. Ex quo consequebatur crimina admissa adversus Deum, uti erat apostasia, & defectio ad idola, fuisse crimina laesae maiestatis, ac rebellionis adversus legitimum Principem. Quare eadem poena plectebantur, qua solent a potestatibus saeculi eiusmodi

delicta puniri. Longe autem distat ab eo regimen Ecclesiae a Christo institutum. Is enim potestates discrevit; sibi spiritualia unice vindicavit; quae temporalia sunt, Regibus terrae penitus dimisit; nec voluit Ecclesiam suam sese immiscere temporalibus, cuius propterea potestatem, ac iura intra ordinem spiritualium rerum coercuit.

XII. Scio demum aliquos moveri a quibusdam exemplis, quibus constat aliquando inflictas fuisse corporales poenas a sanctis viris ad contumaciam infidelium, vel haereticorum frangendam. Legimus Christum ipsum Saulum prostravisse ad terram, ac caecitatem immisisse, ut eumdem ad fidem converteret. Verum illud primum recolere debent peculiaria facta generalem agendi regulam non sancire. Haec hauriri debet ex Christi institutis, praeceptis, ac constanti, quam tenuit ac docuit, agendi ratione, non ex quibusdam exceptionibus, quibus universalis regula magis firmatur. Deinde illud observo ea miracula in aedificationem

cationem, non in destructionem facta fuisse. Sic & Paulus Corinthium tradidit in interitum carnis, ut spiritus eius salvus fieret per Iesum Christum. Ita Christus Saulum percussit, ut eum intus sanaret. Sed rursus ex his agendi norma sumenda non est. Nam illi speciali revelatione didicerant, & Christus ipse sciverat, qui est scrutator cordium ac renum, corporales eas poenas ad animi salutem certo conducere. Deus ipsemet statuerat iis exterioribus adminiculis interiorem gratiam conversionis coniungere. Quare Deus, qui supremus dominus est, iis mediis uti pro libito potest ad misericordiam suam impertiendam. Verum id hominibus datum non est, qui nec possunt interiora scrutari, nec cum exterioribus poenis internam animi conversionem connectere. Quare absque violatione ordinis recedere ab iis mediis non possunt, quae vel natura sua connexionem habent cum fine assequendo, vel quae Christus

instituit. Talia autem sunt praedicatio, instructio, suasio, monita, preces, & alia id genus, quae tum natura sua, tum ex Christi instituto apta sunt fidei generandae in hominum animis. Eiusmodi autem non sunt exilia, carceres, mors, quae vim corpori inferre possunt, non intellectui, quae hypocritas facere possunt, non credentes, quae possunt corpus, & animam perdere, non salvare; quod argumentum clarius fiet, ubi de Principe agemus. Interim iure concludere possumus toto caelo aberrare a spiritu Ecclesiae, a Christi, & Apostolorum doctrina & exemplis barbaram intolerantium opinionem, qui sustinent posse Ecclesiam exilio, carceribus, ac poena mortis hostes fidei multare.

CAPUT

CAPUT XI.

Idem ostenditur auctoritate veteris Ecclesiae Patrum.

I. SED pergamus ostendere saevitiam hanc, quae in hostes fidei exerceri posse creditur non minus contrariam esse Evangelicae, & Apostolicae doctrinae, ut hactenus vidimus, quam principiis, ac praxi veteris Ecclesiae. Illud sane doctrinae caput christianorum omnium animis primis Ecclesiae saeculis alte insidebat homines in religionis negotio liberos esse, nec vim ullam iisdem inferri posse. Afferam inter plura quaedam Patrum testimonia, ut id commonstrem. *Humani iuris, & naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit colere . . . Sed nec religionis est cogere religionem, quae sponte suscipi debet, non vi*, ait Tertullianus ad Scapulam cap. 2., & in Apologetico cap.

 14.,

14., *videte*, ait, *ne hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quem vellm, sed cogar colere, quem nolim*. Eadem scribit Lactantius lib. 5. divin. instit. cap. 19.: *non est opus vi & iniuria, quia religio cogi non potest. Verbis potius, quam verberibus, res agenda est, ut sit voluntas... Quid ergo saeviunt?... Longe diversa sunt carnificina, & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi... Nihil est enim tam voluntarium, quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est*. Eodem argumento utebatur S. Hilarius adversus Arianos, ut hos deterreret a persecutione, quam in catholicos exercebant. *Orant*, aiebat, *vincula, carceres, tribunalia... Si ad fidem veram istius modi vis adhiberetur, episcopalis doctrina obviam pergeret, diceretque: Deus universitatis est dominus: obsequio non eget ne-*

cessario;

cessario ; non requirit coactam confessionem . Non fallendus est , sed promerendus . Hinc scribens ad Constantium Augustum eum monet non alia ratione posse lites , ac dissidia componi , quam si efficeret , ut *omnes dulcissima libertate potirentur , ac permitteret populis , ut quos voluerint , quos putaverint , quos elegerint , audirent docentes .* Hinc commiserebatur stultas , ut ait , suorum temporum opiniones , quibus ad tuendam Christi Ecclesiam favor , & humana vis adhibebantur . *Proh dolor* ! inquit , *divinam fidem suffragia terrena commendant , inopsque virtutis suae Christus , dum ambitio nomini suo conciliatur , arguitur . Terret exilio , & carceribus Ecclesia , credique sibi cogit , quae exiliis , & carceribus credita est ... Fugat sacerdotes , quae propagata est fugatis sacerdotibus &c.* Legite S. Doctorem in lib. contra Auxentium cap. 3. & 4.

II. Alterum principium inconcussum erat apud veteres, iniurias nempe divinitati

illatas per apostasiam, & haeresim dimittendas esse ultioni supremi numinis. Hoc principio nixi refellebant gentiles, qui ut saevitiam aliquo colore praetexerent, qua christianos insectabantur, eo titulo se excusabant, quod ulcisci vellent iniuriam diis suis a christianis illatam. Huius excusationis levitatem arguebant Patres paganos, eorumque numina irridentes: *Si quid* (aiebant) *diis tuis numinis, & potestatis est, ipsi in ultionem suam surgant; ipsi se sua maiestate defendant. Aut quid praestare colentibus possunt, qui se de non colentibus vindicare non possunt;* inquiebat Cyprianus ad Demetrianum; & Arnobius lib. I. *Ergo*, inquit, *humana patrocinia dii quaerunt, & nisi vestra fuerint assertione protecti, idonei non sunt, qui propulsare, defendere suas valeant contumelias*. Eadem habet Lactantius divin. institut. lib. 2. cap. 4. *cum puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorum suorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquunt*

ulci-

ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? Quod sane argumentum inepte intorsissent adversus paganos christiani doctores, si & ipsi credidissent ulciscenda esse ab hominibus adversus religionem peccata. Nam facile reposuissent gentiles posse quidem deos contumelias suas ulcisci; sed id muneris demandasse sacerdotibus suis, qui deorum honorem vindicare debebant adversus sacrilegos.

III. Ea quoque sententia plurimorum animos primis illis temporibus occupaverat, religione nempe christiana prohiberi homines ab effusione humani sanguinis quocumque modo peracta: *ergo*, ait Lactantius lib. 6. divin. institut. cap. 20., *si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor*. Tertullianus vero de idolol. cap. 17., *neque iudicet*, inquit, *fidelis de capite alicuius, vel pudore, neque damnet, neque praedamnet; neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat*. Et

de

de corona mil. & *praelia*, inquit, *operabitur filius pacis cui nec litigare conveniat? & vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit nec suarum ultor iniuriarum?* Quam quidem disciplinam, quam omnibus indiscriminatim fidelibus servandam aliqui indixerunt, ad solos sacerdotes Ecclesia coercuit, sed ex hoc intelligitur, quantum eorum christianorum sensus abhorruisset ab intolerantium doctrina de mactandis haereticis ad avertendum fidei periculum.

IV. Sed opus non est, ut principiis ratiocinemur, quae Patres posuerunt, ut id confirmemus, quod volumus, cum hoc expresse docuerint. *Defendenda religio est*, inquit Lactantius lib. 5. cap. 19., *non occidendo, sed moriendo; non saevitia, sed patientia... illa enim malorum sunt, haec bonorum; & necesse est bonum in religione versari, non malum; nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa,* *sed*

sed polluetur, *atque violabitur*. His addite synodum Alexandrinam apud S. Athanasium Apologet. contra Arianos cap. 4., eumdemque Athanasium cap. 33., ubi multis argumentis redarguitur agendi ratio, qua utebantur Ariani adversus catholicos, ac ipsum praesertim Athanasium. Quae sane argumenta eadem cum illis sunt, quae supra recensuimus, petita nimirum ex libertate religionis, & iniustitiae labe, ab exemplo, ac institutis Christi, & Apostolorum; quibus maxime repugnare demonstrabant ii Patres Arianorum saevitiam, qua impetratis ab Augusto litteris exilio, carceribus, aliisque suppliciis vim inferebant catholicis episcopis. Neque argumentum eluditur, cum dicitur reprobatos Arianos fuisse, quod contra veritatem abuterentur favore, ac potentia Principum. Nam principia, quibus ad eos redarguendos utuntur, non tam ex falsitate caussae, quam Ariani tuebantur, desumpta sunt, quam ex ipsa rei natura, & ex indole

reli-

religionis christianae universim spectatae; qua tum illi, tum nos ex aequo prohibemur, ne in religionis negotio vim inferamus.

V. Piae religionis generatim aiebat Athanasius *proprium esse non cogere, sed suadere*; nec ideo armis, militibus, caedibus veritatem annuntiari debere, *sed persuasione, & consilio*. Quod & exemplo Christi confirmabat, qui neminem coegit, ut eum sequeretur, sed id eorum voluntati permittens dicebat omnibus: *si quis vult post me venire &c.*, quod non solum primis illis temporibus persuasum erat omnibus, sed etiam postquam Ecclesiae nomen dederunt Principes saeculi. Nam inter caeteros venerab. Beda lib. I. cap. 26. commendat Ethelredum Regem Angliae, qui cum ab Augustino conversus fuisset ad fidem, ita se gessit, *ut nullum christianorum, sed tantummodo credentes arctiori dilectione quasi concives regni caelestis amplecteretur: didicerat enim, & a docto-*

doctoribus, auctoribusque suae salutis, servitium Christi voluntarium, non coactitium debere esse.

VI. Multum abfuerant Ecclesiae Patres ab ea distinctione ponenda, cuius supra meminimus, inter persecutores veritatis, & falsitatis, quasi nempe nobis pro veritate liceat homines mactare, ac perdere. Nam etiam haeretici, ut diximus, credunt se pro veritate pugnare. *Haeretici sunt*, aiebat de Arianis Salvianus Massiliensis de providentia lib. 5., *sed non scientes; apud nos sunt haeretici; apud se non sunt. Nam intantum se catholicos esse iudicant, ut nos ipsos titulo haereticae appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos eos iniuriam divinae generationi facere existimamus, quod minorem Patre filium dicant: illi nos iniuriosos Patri existimant, quia aequalem esse dicimus. Veritas apud nos est; sed illi apud se esse praesumunt. Honor Dei apud nos est: sed illi arbitrantur honorem divinitatis esse*

esse apud se : inofficiosi sunt ; sed illis hoc summum religionis officium : impii sunt ; sed hoc putant verum esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant ; non odio, sed affectu Dei, honorare se dominum, atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam existimant Dei charitatem. Qualiter per hoc ipso falsae opinionis errore in die iudicii puniendi sint, nullus scire potest, nisi iudex ; interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etsi non recte credere, affectu tamen piae opinionis errare. Hisce principiis utebantur Patres, ut eum, qui proprius verae religionis est, lenitatis spiritum fidelium mentibus insererent. Praetereo Origenis, Hilarii, Chrysostomi, aliorumque Patrum testimonia, qui ubique eamdem doctrinam inculcant.

VII. Tacere non possum aliqua S. Augustini testimonia, cum eius auctoritate adversarii abutantur. Quaedam tantum

hauriam

hauriam ad eius de hac re sententiam aperiendum aptissima in libro 3. contra Cresconium. Cum hic obiecisset catholicis, quod morti trium Donatistarum occasionem dedissent, respondet S. Doctor id nullo modo probari a nobis, sed improbari. *Nullis bonis in Ecclesia catholica*, inquit, *hoc placet, si usque ad mortem in quemquam, licet haereticum, saeviatur*. Immo nec probari quidem ait, si longe a morte molestiis quispiam afficiatur, vel aliena auferantur, etiamsi id fiat ex occasione procurandae pacis, & unitatis. *Haec omnia*, inquit, *displicent bonis, & ea prohibent, & cohibent, quantum possunt; quantum autem non possunt, ferunt; & sicut dixi, pro pace laudabiliter tolerant, non ea laudabilia, sed damnabilia iudicantes*. In libro autem de fide, & operibus conqueritur S. Doctor, quod *aliqui intuentes praecepta severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, habere ut ethnicum contemptorem Ecclesiae, a corporis compage membrum*

avel-

avellere quod scandalizat, perturbant ita Ecclesiae pacem, ut conentur ante tempus separare zizania, atque hoc errore coacti ipsi potius ab unitate Christi separentur. Rursus quatuor de hoc argumento epistolas scripsit, scilicet 100. ad Donatum Africae Proconsulem, 133. & 139. ad Tribunum Marcellinum, ac postremo 134. ad Apringium. In his totus est, ut suadeat, oret, obtestetur, ne poena mortis inferatur haereticis. *Vos rogamus, ne occidantur; sic peccata eorum compesce, ut sint quos poeniteat peccasse.... Obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini nostri misericordiam, ut hoc nec facias, nec fieri omnino permittas... Tu inimicis Ecclesiae viventibus relaxa spatium poenitendi... Hoc Ecclesiae catholicae expedire contestor... Si occidendos in his sceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perveniat.... Quo comperto in nostram perniciem licentiore audacia grassa-*

grassabuntur, necessitate nobis impacta, & indicta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos vestris iudiciis ingeramus, hanc admonitionem, petitionem, obsecrationem meam ne quaeso aspernanter aspicias ... Neque enim vindictam de inimicis, in hac terra requirimus, aut vero ad eas angustias animi nos debent coarctare, quae patimur, ut obliviscamur quid nobis praeceperit, pro cuius veritate, ac nomine patimur: diligimus inimicos nostros, & oramus pro eis. His locutionibus plenae sunt Augustini epistolae; atque ex his intelligitur ne minimum quidem recessisse Augustinum ab eo spiritu lenitatis, ac mansuetudinis, quem adversus errantes semper Ecclesia servavit, atque ut servaretur, enixe filiis suis commendavit, sed quoniam existimant adversarii, Augustinum hac in re mutasse sententiam, & praesertim in epist. ad Vincentium ea retractasse quae antea scripserat; hinc operae pretium puto peculiari capite eius mentem

accuratius expendere, ac declarare; nec enim pati possumus in re tam perspicua, omniumque veterum Patrum consensu firmata tanti Doctoris auctoritate adversarios gloriari; id autem breviter exsequemur; sed quantum satis erit ad demonstrandum nihil eum in caussa Donatistarum dixisse, quod cum Evangelica doctrina hactenus exposita non cohaereat; quo simul constabit operam Petrum Baelium perdidisse in suo commentario Philosophico, dum Augustini momenta expendere, ac longa oratione confutare aggressus est.



CAPUT

CAPUT XII.

Expenditur mens S. Augustini de vi corrigendis haereticis, praesertim in epistolis ad Vincentium Rogatistam, & ad Bonifacium.

I. Ac primo quidem vel ipse Baelius, qui epistolarum Augustini refutationem aggreditur, testatur se velle praescindere a peculiaribus Donatistarum circumstantiis, & rationes ab Augustino prolatas in seipsis, ac generatim considerare velle, seiunctas ab omnibus iis adiunctis, quae Augustini caussae favere possunt. *Je dis au commencement de cette troisieme partie, que je ne fais aucune attention aux circostances particuliers de S. Augustin, des Donatistes, du siecle, ni du pays, ou ils vivoient, mais que je remonte a la plus grande generalité, qui se puisse, pour montrer, que les raisons de S. Augu-*

Augustin considereés en elles memes, & depouilleés de tous leurs accidens defavourables ne laissent pas d'etre fausses. At dum id Baelius confitetur, mirum est tam acutum ratiocinatorem non vidisse se extra caussam vagari. Notissima enim regula est, in auctorum confutatione inviolate servanda animadverti oportere auctoris scopum, ac circumstantias, in quibus scripsit, rationes, quae ipsum impulerunt ut scriberet, quaestionis, quam versat, naturam cum omnibus suis adiunctis, quae illam comitantur. Quis enim ignorat quaedam esse verissima locorum, temporum, ac personarum adiunctis applicata, a quibus si abstrahas, falsissima esse deprehenduntur? Ergo quae scripsit Augustinus de poenis in schismaticos, & haereticos latis universim sumenda non sunt, quasi ipse putaverit ipsum per se haeresis, ac schismatis crimen corporali poena vincendum, ac quoscumque haereticos etiam bonae fidei,

ut

ut loquuntur, eo solo titulo quod haeretici sint, temporalibus poenis cogendos esse, ut redeant ad unitatem. Hoc numquam docuit Augustinus; sed ubique, & cum ageret de Manichaeis, & alibi saepe, constanter asseruit neminem esse ad unitatem Christi cogendum, sed verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos habeamus, quos apertos haereticos novimus. Nullam unquam molestiam hac de caussa hominibus infligendam esse permisit, sed eos ubique in spiritu lenitatis, atque patientiae tolerandos esse praedicavit. Qua in re cum ipso Baelio mire consentit. Hinc si in caussa Donatistarum vindicias agere coepit legum civilium, quibus Principes poenas in illos sanciverant, peculiaribus circumstantiis ad id faciendum motus est, quas utique expendere Baelius debuisset, non praeterire. Nam & ipse testatur, ubi agitur de schismaticis, vel haereticis inquietis,

turbulentis, societatis perturbatoribus, fas esse Principibus eorum audaciam corporalibus poenis coercere. Et ipse fatetur fas esse catholicis adversus apertam haereticorum vim implorare Principum opem, & legum subsidium. *Qui a jamais douté*, ait Baelius, *que ce ne soit le devoir des Princes de faire des loix contre les heretiques, qui inquietent leur prochain, qui sont remuans, persecuteurs, & choses semblables? Qui a jamais douté, que les gens de bien ne puissent, & ne doivent exhorter les Princes, qui negligeroient de remedier a' ces violences, de les reprimer par le glaive, que Dieu leur a mis en main?* Atqui in his circumstantiis versabatur Augustinus. Atqui eiusmodi erant Donatistae, inquieti scilicet, persecutores, homicidae, atque scelestissimi Ecclesiae Christi oppressores. Ergo ab his circumstantiis non debuisset Baelius praescindere, si bona fide agere cum Augustino voluisset, sed potius ad eas exigere

gere Augustini mentem, eiusque rationes; quarum licet aliquae generales esse videantur, postulat tamen aequitas, ut ad scopum auctoris, atque ad caussam Donatistarum, de qua agebatur, iustis finibus coerceantur. Quod si, uti debuerat, praestitisset Baelius, utique deprehendisset Augustinum sibi ubique cohaerentem; neque in hac re pristinam mutasse sententiam, nisi forte quod cum antea credidisset mitius agendum cum haereticis etiam inquietis, experientia gravissimorum malorum, quae Donatistae commiserant, ipse postea commotus paulo severius tantam licentiam a Principe comprimi posse putaverit. Quod sane dum egit, non a priori lenitatis christianae sententia recessit, sed eam debitis limitibus circumscripsit, & cum iuribus Principum, & populi christiani utilitate amico foedere pro diversitate circumstantiarum consociavit.

II. Quod ut demonstrem, opus non est Donatistarum historiam contexere. Hanc notissimam esse suppono. Nosse sufficiat eam sectam omnium fuisse turbulentissimam. Hominum enim genus erat, quos nulla iura coercebant; qui nec ratione, nec aequitate, nec iudiciis Principum tum ecclesiasticorum tum laicorum flecti unquam potuerunt; qui saepius ab utraque potestate convicti, atque damnati semper audaciores facti turbas, seditiones, tumultus non solum adversus Ecclesiam, sed etiam adversus imperium moliebantur; qui & aliena bona diripuerant, & Ecclesias invaserant; & ope circumcellionum, quibus utebantur, homicidia, caedesque innumeras patrabant non parcentes non laicis solum, sed nec sacerdotibus, nec episcopis catholicis; qui denique ad tantum furorem pervenerant, ut more latronum armatis militibus vias occludentes insidias unicuique catholicorum struerent, omniaque stragibus,

ac

ac sanguine implerent; cumque id exsequi aliquando non possent, ea dementia capti sunt, ut sibimetispis mortem consciscerent. Legi possunt Optatus Milevitanus, & Augustinus in operibus editis adversus Donatistas. Ex his intelligitur nullam extitisse sectam tam inquietam ac turbulentam, tam saevam ac barbaram, tam pertinacem ac flagitiosam, quam fuerit secta Donatistarum. Id ex historia ecclesiastica neminem arbitror ignorare. Quare me confero ad propositum conficiendum. Quod exsequar nonnullis animadversionibus, quas natura veluti sua suppeditant res gestae cum Donatistis.

III. Sed illud inprimis secerni volo, quod gessit Ecclesia ab agendi ratione, quam Principes saeculi tenuerunt, & quam in ipsis Ecclesia probavit. Haec enim duo confundi simul non debent, ut a iure Principum spiritus Ecclesiae internoscatur. Vidimus cap. IX., qua lenitate ac moderatione Ecclesia Donatistas

tistas tractaverit. Hic aliqua veluti per summa capita perstringemus. Primum itaque quamvis Donatistarum caussa iam decisa fuisset a Romano Pontifice in synodo, quae Romae habita est, iterumque recognita iussu Constantini, atque discussa in Concilio Arelatensi, auditis ipsis Donatistis coram 200. & amplius episcopis, catholici tamen numquam renuerunt eos audire, immo plures iis obtulerunt collationes cum privatas, tum publicas, in quibus iterum quaestio discuteretur, ac caussam dicerent Donatistae; cumque isti ab hac ratione omnium facillima veritatis inveniendae abhorrerent, Augustum catholici orarunt, ut solemnes collationes indiceret, quarum ope restitui posset Ecclesiae pax, atque tranquillitas. Habitae reapse sunt eiusmodi collationes, plures a catholicis conditiones exhibitae Donatistis, ex quibus, ut diximus Cap. X., intelligi potest, qua ratione Ecclesia studuerit pertinaces haereticos ad unitatem reducere.

IV.

IV. Secundo constat episcopos catholicos non adiisse Principes christianos in caussa Donatistarum, nisi postquam Donatistae ab Ecclesiae totius iudicio ad eos appellaverant. Isti enim cum caussa cecidissent apud universam Ecclesiam, ad Augusti tribunal caussam detulerunt. Quod Constantinus aegre tulit, illudque esse dixit argumentum furoris, ac pertinaciae. Noluit tamen eos repellere, ut omnem eis auferret querelarum occasionem. Hinc auditi rursus Donatistae fuerunt, ac Caesaris iudicio condemnati. Quo factum est, ut sibi severitatem legum consciverint, quas postea tulit Augustus adversus turpissima eorum flagitia. *Hoc enim contigit Donatistis*, ait Augustinus, *quod accusatoribus Sancti Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conversae sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt.*

V. Tertio rursus constat catholicos non implorasse Principum opem adversus

erro-

errorem, ac schisma, sed adversus furentem Donatistarum licentiam, qui religionis titulo omne scelerum genus perpetrabant, quae nulla sane bene instituta respublica impunita relinquit. Opem autem Principis exorare, ut modus ponatur sceleribus, ut impediantur caedes, latrocinia, ac direptiones malorum, quo iure vetitum fuit? Id probat Augustinus exemplo Apostoli Pauli: *neque enim*, inquit, *Sanctus Apostolus Paulus vitae suae transitoriae consulebat, sed Ecclesiae Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum, Tribuno ut proderetur, effecit... Romanas etiam leges implorare minime dubitavit, Civem Romanum se esse proclamans, quem tunc affligi verberibus non licebat: itemque ne Iudaeis eum interimere cupientibus traderetur, Caesaris poposcit auxilium, Romani quidem Principis, sed non christiani.*

VI. Quarto liquet pariter ex rerum gestarum historia Principes christianos in

ea

ea caussa usos fuisse maxima moderatione ac lenitate; nam supra modum indulserant Donatistis; tot enim iis iudicia concesserunt, quot ii postulaverant; eos dederunt iudices sive ecclesiasticos, sive laicos, quos illi expetiverant. Immo post tot tantaque lata iudicia, post decisionem habitam a Romano Pontifice, ab Arelatensi synodo, ac vel ab ipso Constantino, post innumera crimina ab iis admissa per LXXX. & amplius annos adversus Ecclesiam, & adversus maiestatem Principis, Imperator Honorius pro iisdem solemnem collationem indixit, in qua denuo res tractaretur, eosdemque summa humanitate tractavit. Quare severitatem legum non tam Principes, quam Donatistae sibi advocarunt, qui cum omnia implerent caedibus, ac sanguine, ac universam Africam seditione turbarent, vel invitos Principes compulerunt, ut tantam saevitiam terrore poenarum compescerent, ac rebelles subditos adversus

omnia

omnia iura peccantes cohiberent. Ex quibus demum intelligitur adhibitam vim legum fuisse adversus Donatistas, non ut schisma, vel error puniretur, sed ut compesceretur secta societati perniciosissima, atque ad omne scelerum genus proiecta. Legi potest de hoc argumento doctissimus Antonius Arnaldus in responsione ad librum Morelli.

VII. His interim in circumstantiis vindicat Augustinus a Donatistarum querelis aequitatem legum civilium; atque in his vindiciis agendis omnia accuratissime expendit, ac numquam christianae moderationis oblitus quibusdam exceptionibus quaestionem omnem iustis finibus circumscribit. Conqueritur primo, quod sibi Cresconius imputaverit, se dixisse persecutionem adversus schismaticos, & haereticos fieri debere; aitque se numquam id affirmasse, sed solum *fieri posse* aliquando, & quidem iustis de caussis. *Ita enim*, ait Augustinus lib 3. contra Cresconium

sconium cap. 41., *respondes, quasi ego dixerim persecutionem vobis pro pace unitatis Ecclesiae fieri debere, quod illo quidem loco non dixi, si aliquid inique passi estis, non pertinere ad illos, a quibus laudabiliter pro unitatis pace tolerantur, qui talia in vos, quamvis improbe, faciunt*. Hinc probat Augustinus leges poenales aliquando ferri posse in haereticos non quidem ab Ecclesia, quae uti non potest adversus errantes nisi persuasione, consilio, instructione, poenisque spiritualibus, sed a potestate temporali, quae non sine caussa gladium portat. Hinc ait non omnem persecutionem esse iniustam, quae fit in haereticos, cum scilicet iustae caussae adsint, quibus ea fiat, cuiusmodi erant in caussa Donatistarum.

VIII. Verum his etiam positis iustis rationibus, fines quosdam Augustinus praescribit, ne lenitas, ac moderatio christiana violetur; ac primo quidem fas esse non dicit ob bonum Ecclesiae mortem a Prin-

cipe

cipe haereticis inferri. *De vobis*, ait, *quidem dixisse Apostolum legimus, quod non sine caussa gladium geratis, & ministri Dei sitis vindices in eos, qui male agunt. Sed alia caussa est Provinciae, alia Ecclesiae; illius terribilis gerenda est administratio; huius clementer commendanda est mansuetudo*. Adeo cavit Augustinus, ne in puniendis etiam seditiosis ac turbulentis haereticis ita Ecclesiae tutela suscipiatur, ut ab eius mansuetudine recedatur. Hinc semper Principes deterruit a mortis supplicio Donatistis ut ut scelestissimis inferendo. Huc spectant eius testimonia superiori capite allata. Addo alia non minus iis perspicua. *Sed ne vel ipsi, quorum homicidium patefactum est, per tuae potestatis sententiam multentur, hoc timeo; hoc ne fiat, & christianus iudicem rogo, & christianum episcopus moneo*. Nec monuit solum, nec solum oravit, sed ea qua pollebat auctoritate episcopali praecepit. *Si non audis*, inquit

epist.

epist. 159., *amicum petentem*, *audi episcopum consulentem; quamvis, quoniam christiano loquor, maxime in tali caussa, non arroganter dixerim, audire te episcopum convenit iubentem*. Hinc in epist. 50. commendat Honorium Augustum, quod in lege adversus Donatistas lata a mortis supplicio inferendo abstinuerit *propter servandam*, ut ipse loquitur, *etiam circa indignos mansuetudinem christianam*. Constans igitur Augustini sententia fuit neque Ecclesiae spiritum permittere, ut poena mortis adversus haereticos postuletur, nec pati indolem religionis christianae, ut ea inferatur.

IX. Nunquam igitur Augustinus in haereticum usque ad mortem saeviri permisit. Immo in poenis decernendis adversus Donatistas semper timebat, ne Principes christiani Evangelicae lenitatis fines excederent. *Unum solum est*, ait epist. 127., *quod in tua iustitia pertimescimus, ne forte, quoniam quidquid mali contra christianam societatem ab hominibus impiis committitur*,

mittitur, profecto gravius est & atrocius; quam si in alios talia committantur, tu pro immanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis christianae consideratione censeas coercendum; quod tu per Iesum Christum ne facias, obsecramus. Quare cum episcopi catholici Imperatorem orare vellent, ut quaedam poenae in Donatistas sancitae semper vigerent, ut hoc fraeno eorum violentiae cohiberentur, quarum caussa legatos ad Imperatorem mittere decreverant, expeditionem hanc emollire studuit S. Augustinus, noluitque Imperatorem orari, ut Donatistarum sectam destrueret, sed solum ut illorum ex Donatistis effraenem licentiam coerceret, qui homicidia aliaque scelera adversus catholicos committebant. Quamquam Honorius nova facinorum immanitate commotus, quae Donatistae patraverant adversus Clerum, & praesertim adversus episcopum Vagiensem, legem eversionis iam promulgaverat, cum episcoporum legati Raven-

Ravennam ad Augustum pervenerunt. Quo factum est, ut Augustini, aliorumque episcoporum vota irrita fuerint. Caeterum Honorius non mortis poena, sed bonorum temporalium iactura, ac iurium civilium privatione immanissimam sectam non Ecclesia solum, sed Imperio molestissimam extirpari decrevit.

X. Quid vero de hisce poenis, quae infra mortem sunt, Augustinus censuerit, restat ut videamus. Has quidem iuste aliquando haereticis inferri posse iudicavit, sed quasdam conditiones adiecit, sine quibus iustae esse non possunt, ac primo quidem asseruit eas debere coniungi cum instructione, ac illustratione veritatis. *Si enim*, inquit epist. 48., *terrerentur, & non docerentur, improba quasi dominatio videretur.* Quod deinde suadet exemplo Dei, qui semper instructionem cum terrore poenarum connectit, & in epist. 127. scribit: *onerosior est quam utilior diligentia, quamvis magnum deseratur malum, & ma-*

& magnum teneatur bonum, *cogi tantum homines*, *non doceri*. Hinc tot cum Donatistis collationes haberi voluit Augustinus; ut nulla possent veritatis ignorantia laborare; hinc etiam composuit *breviculum collationum*, ut demonstrata veritas omnibus innotesceret, nec ulla posset tergiversatione celari. Tum enim contradicentes merito censentur non laborare errore intellectus, sed voluntatis malitia; vel quod supina negligentia nolint intelligere, ut bene agant, vel quod imbecillitate voluntatis, aut obstinata in errore perfidia nolint cognitam veritatem amplecti. Quae sane cum arguant damnabile vitium voluntatis, iuste inferri possunt corporales poenae, quibus negligentia considerandae veritatis excutitur, & veluti somno lethargico excitata voluntas ad considerationem veritatis assurgit, ac volens amplectitur, quod antea nolebat; vel si cognitae veritati pertinaciter resistit, merito plectitur vitium voluntatis. Hac ratione iustitiam

poena-

poenarum, quas Principes in Donatistas decreverant, Augustinus defendit in epistola ad Vincentium. Erant enim Donatistae in errore, cuius saepe convicti fuerant, pertinacissimi; *qui se inde non recessuros*, ait Augustinus epist. 158., *etiam demonstrata sibi catholica veritate, & Donatistarum perversitate dixerunt*, & in epist. cit. ad Vincentium tales eos fuisse scribit, *qui quadam vetusta socordia premebantur dicentes: nobis vero quidem dicitis; non est quod respondeatur; sed durum est nobis traditionem parentum relinquere. Nonne salubriter regula temporali molestiarum excutiendi erant, ut tamquam de somno lethargico emergerent, & in salutem unitatis evigilarent*? Vel ipse Baelius in suo commentario diluens, quod sibi obiecerat ex Eliae facto, aperte confitetur haereticum, vel schismaticum malae fidei poenis corporalibus merito plecti: *en ce cas-là nous declarons, qu' aucun heretique n' est digne de tolerance, & de bon coeur*

 nous

nous consentons , qu' on envoie les ministres , & toutes leurs oüailles au gibet , si l' on sait certainement , qu' ils prechent l' erreur , & l' heresie à eux connues comme telles , par malice , & par des interets humains . Qu' on les pende tous en ce cas-là . At enim id nullibi asseruit Augustinus , qui numquam ut vidimus usque ad mortem in haereticum etiam pertinacem , & inquietum saeviri permisit . Ergò Baelius & contra rationem , & secum ipse pugnat , dum Augustinum redarguit , quod Donatistas pertinaces , & malae fidei schismaticos non quidem poena mortis , sed exilio , ac bonorum temporalium iactura a Principe coerceri posse defenderit .

XI. Immo S. Doctor corporales poenas licet infra mortem , licet cum instructione , ac veritatis illustratione coniunctas , decerni iuste non posse putavit , nisi adversus haereticos vel schismaticos inquietos , persecutores , nec minus Ecclesiae , quam societati perniciosos . *Sed Donatistae ,* ait

ait epist. 48., *nimium inquieti sunt, quos per ordinatas a Deo potestates cohiberi, atque corrigi mihi non videtur inutile.* Horum immanitates ac scelera ipse describit epist. 50. in hunc modum: *Tum vero illi sic exarserunt, & tantis sunt odiorum stimulis incitati, ut contra eorum insidias, atque violentias, & apertissima latrocinia vix ullae nostrae communionis Ecclesiae possent esse securae; vix ulla via tuta, qua iter agerent, quicumque adversus eorum rabiem pacem catholicam praedicarent, eorumque dementiam perspicua veritate convincerent, usque adeo prorsus non solum laicis, vel quibuslibet clericis, sed ipsis quoque episcopis catholicis quodammodo proponebatur dura conditio, aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda.* Tantus sane adversus catholicam Ecclesiam eos furor incenderat, ut eam a fundamentis, si fieri posset, evertere omni scelerum genere molirentur, ac impedirent propterea, ne caussam suam

catholici dicerent, & a veritate sequenda formidine poenarum suos deterrerent. *Quam multi*, ait Augustinus epist. 48., *quod certo scimus, iam volebant esse catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum reverendo quotidie differebant!* Et in epist. 50.: *quid de illis dicamus, qui nobis quotidie confitentur, quod iam olim volebant esse catholici, sed inter eos habitabant, inter quos id quod volebant esse non poterant, per infirmitatem timoris, ubi si unum verbum pro Ecclesia caholica dicerent, & ipsi, & domus eorum funditus everterentur? Quis est tam demens, qui neget istis debuisse per iussa imperialia subveniri, ut de tanto eruerentur malo, dum illi, quos timebant, timere coguntur, & eodem timore aut etiam ipsi corriguntur, aut saltem cum se correctos esse confingunt, correctis parcunt, a quibus antea timebantur?* Erant igitur Donatistae intolerantes, inquieti, iniusti catholicorum oppressores, qui horrendo impetu, ac furore

rore

rore in catholicos saeviebant, ac per crudelissimas caedes, per depraedationes domorum, per nocturnas aggressiones, & incendia non solum privatorum habitaculorum, sed etiam Ecclesiarum, per inhumanas mutilationes membrorum, ac effusionem sanguinis, clericorum praesertim, & episcoporum Dei, durissime catholicos vexabant, & suos deterrebant, ne fierent catholici. Iam vero vel ipse Baelius talium haereticorum licentiam a Principe non solum posse, sed & debere coerceri defendit, non exilio solum, vel carceribus, sed etiam mortis supplicio. Quid ergo peccavit Augustinus, quum Principum leges adversus Donatistas latas iustas fuisse propugnavit, quibus horribilis ea secta coercebatur, *non quidem*, ut loquitur Augustinus, *supplicio capitali, propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem christianam, sed pecuniariis damnis propositis, ac in episcopos, & ministros eorum constituto exilio*? Nemo non videt longe

mitio-

mitiorem, ac tolerantiorem fuisse Augustinum, quam Baelius fuerit, qui tamen creditur praecipuus tolerantiae patronus, ac vindex.

XII. Quare mirum est, uti ab initio dicebam, potuisse Baelium confutationem suscipere epistolarum S. Augustini, nisi, ut monui, ea arte usus fuisset, qua res a suis adiunctis abstrahitur, atque, ut dici solet, a specie ad genus transfertur. Quo sane agendi modo non veritatis studium ostenditur, sed mala auctorem carpendi libido. Neque iuvat respondere rationes, quas in medium Augustinus producit, si quid evincerent, generatim probare iustam esse persecutionem adversus haereticos cuiuscumque generis; atque sub hac generali ratione eas Baelium considerasse. Siquidem fateor S. Doctorem non omnia argumenta traxisse ex peculiari Donatistarum caussa, sed quaedam etiam petiisse ex utilitate timoris, qui per poenas incutitur,

titur, ab experientia, aliisque id genus, quae latius patere videntur. Sed aequitas postulat, ut rationum momenta coerceantur ad scopum auctoris, atque ad caussam, quam habet prae manibus. In vindiciis legum adversus Donatistas agendis semper Augustinus supposuit peculiares sectae Donatistarum circumstantias, in quibus agnovit legum poenalium ferendarum legitimam, atque laudabilem rationem, qua supposita etiam caeterae rationes locum habere possunt, quae solae habere non possunt. Ubi enim haereticus simplex haereticus sit, non inquietus, non malae fidei, perperam prorsus corporalis poena adhibetur ad vincendum intellectus errorem, cui superando natura sua apta poena non est, quae propterea contra rationem adhiberetur, quamvis, ut dici solet, per accidens aliquando pareret veritatis cognitionem. Ipse enim per se cum hominem cogat, non doceat, non persuadeat, nata est parere fictos catholicos,

nullo

non veros filios Ecclesiae. Quod sane nullo iure permittitur, licet ex malo interdum aliis de caussis possit bonum oriri. Sic etiam ex lege Caroli Magni ad Saxones & Hunnos data, quam alibi indicavimus, illud commodum ortum est, ut eorum posteri libenter religionem christianam professi fuerint, quam parentes inviti, ac terrore poenarum coacti susceperant. Sed ex quo Deus adeo omnipotens sit, ut etiam malis utatur ad bona facienda, non ideo licet homini ea mala committere. Hinc quaecumque commoda ex ea lege orta fuerint, non inde efficitur, ut ea lex iniusta, & iniqua non fuerit. Cum ergo cogere homines terrore poenarum ad fidem suscipiendam, vel retinendam recto ordini contrarium sit, id numquam eo solo titulo fieri licet, quamvis aliquando ad finem obtinendum inserviat; nec enim bene agitur, etiamsi bonum obtineatur, cum per media obtinetur, quae legitima, & iusta non sunt.

XIII.

XIII. At ubi legitimae rationes accidant infligendi adversus haereticos corporales poenas, quas quidem rationes superius attulimus, tunc poenarum inflictio iustissime indicitur, quoniam per se natae sunt ad eum obtinendum effectum, cui destinantur; atque in eo casu fas est etiam utilitatem proferre, quae ex iis per accidens oriri potest, licet haec sola sufficiens ratio non sit earum infligendarum. Quamvis enim haec utilitas non comparetur, immo etsi incommodum aliquod oriatur, ea tamen utilitas obtinetur, quae naturae poenarum, earumque fini potissimo proportione respondet, sic timore poenarum saevitia compescitur, effraenis licentia cohibetur, aliorum infirmitati consulitur, innocentia ab iniustitia vindicatur, ac reipublicae conservatur tranquillitas. Quae sane rationes necessitatem legum poenalium inducunt, quarum propterea aequitas subsistit, etiamsi per eas homines non corrigantur ab errore intellectus, vel se corre-

ctos

ctos esse confingant. Hinc aiebat Augustinus de poenis latis in Donatistas: *aut etiam ipsi corriguntur, aut saltem cum se correctos esse confingunt, correctis parcunt; a quibus antea timebantur*. Cum ergo S. Doctor utilitatem poenarum ex correctionis bono, vel ab eorum, qui correcti sunt, exemplis depraedicat, non eas per se consideratas tamquam sufficientes rationes earum decernendarum proponit, sed supposita legum legitima caussa eam quoque utilitatem commendat, quae ex iis oriri potest, & oritur aliquando, sed quae sola esse nequit earum legum obiectum, finis, ac ratio. Qua una animadversione satis puto refelli omnes cavillationes, quas adversus Augustinum super hoc argumentum Baelius congessit.

CAPUT

CAPUT XIII.

Quaedam explicantur ad ea magis illustranda, quae hactenus exposita sunt.

I. Ab eo, quem hactenus descripsimus, spiritu ecclesiasticae lenitatis, & charitatis, quae omnia suffert, ut omnes Christo lucrifaciat, multum abhorruisse intelligitur terrificum tribunal Inquisitionis haereticae pravitatis, plenum minarum, ac caedis, quod rudioribus saeculis, ac dominante feroci quodam hominum ingenio invectum religiosis viris demandatum est, quorum manus, quibus hostiae offerendae sunt Deo placabiles, humano sanguine non raro foedatas fuisse novimus. Quis sane credidisset futuros esse aliquando ecclesiasticos viros, qui militum copia ac satellitum stipati devios a fide inquirerent, detectosque includerent carceribus, variis-

que

que poenis mutarent, ac saeculi magistratibus traderent vel igni comburendos, vel furcae appendendos? Anne Christi Ecclesia custodienda erat more castrorum? *Oro vos*, merito sane dixisset Hilarius, quae olim de Arianis dicebat, *quibusnam suffragiis ad praedicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adiuti potestatibus Christum praedicaverunt, gentesque fere omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi assumebant e palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas, & flagella cantantes? edictisque regiis Paulus .... Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se, credo, aut Vespasiano patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confessio divinae praedicationis effloruit! At nunc proh dolor! divinam fidem suffragia terrena commendant .... Terret exilio, & carceribus Ecclesia; credique sibi cogit, quae exilio, & carceribus credita est*. Vix credibile videtur tantam fieri potuisse humanarum men-

mentium conversionem. Iam vidimus supra quinam semper fuerit Ecclesiae spiritus. Tam longe semper abfuit ab omni specie coactionis, atque ferociae, ut ab eo spiritu fluxerit irregularitatis species, quae contrahitur ob defectum lenitatis; ut nempe Ecclesia ostenderet, quanta esse debeat in ministris suis animi mansuetudo; cui cum adversari videatur humani sanguinis effusio, iudicium sanguinis exercere, mortisque sententiam in aliquos dicere semper indignum sacerdotio illa iudicavit. *Quomodo enim*, ut ait Ivo Carnotensis, *Ecclesia iudicare debet fundendum sanguinem alienum, quae a primo ortu suo iussa est fundere sanguinem proprium?* Quare pluribus canonibus, maxime Toletani Concilii VI. & XI. id vetitum est, irregularitatis inflicta sanctione. *His, a quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet*, ait Toletana synodus; & Concilium Lateranense sub Innocentio III. inquit; *sententiam sanguinis*

guinis nullus clericus dictet, aut proferat: sed nec sanguinis vindictam exerceat, nec ubi exercetur, intersit.

II. NEQUE ab irregularitate liber censebatur, etiamsi iudicium huiusmodi exercuisset, ut delegatus Principis, quemadmodum respondet Alexander III. episcopo Panormitano; nam Ecclesia semper sollicita fuit, ut quos ob haeresim, aliaque scelera reos esse cognosceret, a morte pro viribus vindicaret, & ad Christum per poenitentiam reduceret, quod a suis ministris semper exegit. Hinc notissimae illae episcoporum apud iudices saeculares intercessiones pro reis, non ut quaererent impunitatem criminis, sed ut correctionem delinquentis procurarent. Sciebat enim Ecclesia, ut ait Augustinus in epistola ad Macedonium, *morum corrigendorum nullum alium quam in hac vita locum esse; ideo compellimur*, ait, *humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire sup-*

supplicium . Hinc semper , ut vidimus , a Magistratu civili episcopi petebant , *ut in impios usque ad mortem non saeviretur , ut essent , quos poeniteret peccasse , ut iis relaxaretur spatium poenitentiae* . Quod adeo sincere petebant , ut protestarentur , nisi id obtinerent , se deterrendos , ne ad regum iudicium per eorum operam aliquid tale perveniret . Anne probatum maioribus nostris fuisset Inquisitionis tribunal , in quo praecipuam partem habent religiosi viri , qui haereticos etiam occultos sollicite inquirunt , ac detegunt , eosque , si poeniteat , perpetuis addicunt carceribus , vel impoenitentes curiae saeculari tradunt , ut trucidentur ; ac tam inhumano spectaculo solemni pompa ipsimet assistunt , putantes se obsequium praestare Deo , quasi humanae victimae Deo gratae in vindictam fidei immolentur ? Numquid sic relaxatur spatium poenitentiae ? Numquid eos poenitere potest in rogum Inquisitionis iniectos ?

III. Ab hac sane ferocia semper curavit Ecclesia, ut ministri sui abstinerent, quos non ut lupos, sed ut oves in medio luporum missos fuisse noverat, neque ut istos mactaret, ac perderet, sed ut corrigeret, ac mansuetaceret. Hinc notissimum est Ithacii factum, quo satis apparet veteris Ecclesiae spiritus circa haereticos plectendos. Cum enim Ithacius apud Augustinum accusasset haereticum Priscillianum, eumque suaderet, ut eumdem morte multaret, indignatus S. Martinus vir vere Apostolicus Ithacium severe redarguit, ac monuit, ut ab accusatione desisteret; Principem vero exoravit, ne manus suas haereticorum sanguine foedaret, cum satis esset dicere, eos ut haereticos episcoporum judicio declaratos fuisse, & ab Ecclèsia communione seiunctos, sed cum Imperator maximus adversus fidem, quam dederat, Priscillianum, eiusque sectatores mortis supplicio multasset, adversus Ithacium concitati sunt episcoporum animi, ac Beatus

tus Martinus ab Ithacii, eiusque sociorum communione se separavit. Idem, teste Baronio, praestitit Siricius Papa, idemque Ambrosius, ut constat ex ipsius epistola 27., ubi scribit: *cum videret me abstinere ab episcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos, devios licet a fide, ad necem petebant &c.* Gallicani quoque episcopi noluerunt cum Felice communicare, quod ab Ithacianis consecratus fuisset episcopus; atque ut eorum exemplum caeteri imitarentur, permisit synodus Taurinensis cap. V. *Nondum enim de episcopo aliquo auditum in Ecclesia Dei erat de sontibus poenam sanguinis exegisse*, ut ait Prosper in Chronico ad annum 382., qui rursus ad annum 389. scribit *Ithacium, & Ursatium episcopos, ob necem Priscilliani, cuius accusatores fuerunt, Ecclesiae communione privatos fuisse.* Hinc factum esse volunt Baronius, & Spondanus, *ut in Ecclesia catholica usu receptum sit, ut cum quis excipit a saecularibus Magistratibus opem adversus impios,*

ne Ithacianae partis sectator esse videatur; *contestationem illam consulte praemittat, sic se correctionem expetere incorrigibilium delinquentium, ut tamen citra poenam sanguinis puniantur*. Quam quidem interpositionem cum Ithacius omisisset, ob id a Theognosto, aliisque catholicae communionis episcopis Ithacium cum sociis excommunicatum fuisse asserit Binius.

IV. Hinc ortus est successu temporis mos in Ecclesia, ut non possit episcopus tradere curiae saeculari clericum degradatum, nisi efficaciter intercedat, ne morte afficiatur. Quod si intercessio inefficax praevideatur, utrum id fieri tuto possit, hinc inde diu disceptatum est, donec Bonifacius VIII. litem diremit definiendo episcopos id agere tuto posse, dummodo exterius intercedant, quamvis noverint intercessionem plane nullam futuram esse. Eodemque modo fas non esse ecclesiasticis coram Magistratu laico aliquem de delicto accusare, si praevideatur eum morte afficiendum

ciendum fore, nisi accusator expresse protestetur, quod ad vindictam, seu ad poenam sanguinis non intendat, declaravit Innocentius III. Quae quidem protestatio, uti etiam intercessio episcopi, quae fit pro reo, quae primum debuerat esse sincera, & efficax, iam tandem in quamdam externam formulam desiit ad fugiendam notam irregularitatis. Hanc tamen formulam retineri Ecclesia cupit, ut saltem pristinae disciplinae vestigium remaneat, ex qua intelligant sacri ministri, quam fugienda iis sit vel levis umbra, quae laedat christianam mansuetudinem, ac lenitatem.

V. Sed ut teneatur ecclesiasticae disciplinae spiritus, atque christiana lenitas, ac mansuetudo servetur, quidpiam aliud requiritur praeter externum eum ritum, qui in disciplinae collapsione residuus est. Non solum debet Ecclesia per ministros suos intervenire pro reis, idque non inaniter, ac verbis solum, sed ex animo,

& efficaciter praestare debet; ac si praevideat ex accusatione mortem esse secuturam haeretici, vel schismatici, ab eadem abstineat, oportet, ut quantum in ipsa est, nullam praebeat effusioni sanguinis occasionem. Multo minus Ecclesiae ministri possunt processus, ut aiunt, criminales instituere, sententiamque ferre, ex qua mors consequatur. Hinc aliquando dubitatum fuit, an liceret episcopis, vel abbatibus habentibus iurisdictionem temporalem ministris suis caussas criminales committere absque metu irregularitatis. Id quidem fieri posse postea definivit Bonifacius VIII., maxime, si ut hodie fit, constituantur ab iis perpetui ministri, qui iure suo caussas criminales agitent sine ullo dominorum interventu; at religionis titulo adversus haereticos, vel schismaticos caussam sanguinis agitare Sacerdotio indignissimum est. Variis quidem constitutionibus provideri fortasse potuit maculae ecclesiasticae irregularitatis: sed macula, quae per sa-

cerdotes infertur lenitati christianae, quae sane macula maxime irregularis est, per eas exceptiones depelli non poterit; multoque minus depelli poterit iniuria, quae religioni infertur, quae liberae optionis esse debet, nec cogi potest, quin polluatur, ut satis constat ex dictis.

VI. Quis ergo non videt cum ab ecclesiastica disciplina, tum maxime ab eius spiritu, Ecclesiaeque ac religionis indole plurimum abhorrere Inquisitionis tribunal eo fine institutum, ut vis inferatur haereticis quibuscumque, & administratum ab Ecclesiae ministris, qui per satellites suos hostes fidei insectantur, eos in vincula coniiciunt, processus instituunt, ac sententiam ferunt, ex qua vel bonorum iactura, vel ergastulum, vel carceris poena, vel ipsa mors certo consequitur? Quid sane iuvat episcopum vel Inquisitorem, cum damnatus reus traditur magistratui, ea verba proferre? *Domine iudex, rogamus cum omni affectu,*

quo

quo possumus, ut amore Dei, & misericordiae intuitu, & nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis. Quid, inquam, haec iuvat animi teneritudo, cum certo sciatur mortem secuturam esse ex lata in reum sententia; immo cum iudex formulae precum annuere non possit, quin excommunicationis poena illigetur? Sic enim habet constitutio X. Innocentii VIII.: *infra sex dies, sine aliqua processuum visione, sententias latas prompte exsequantur, sub excommunicationis poena, aliisque censuris.* Quinque tantum dierum spatium assignat constitutio Innocentii IV. Statutum quoque est, poenas adversus haereticos sancitas non solum a iudice differri non posse, sed nec mitigari. Cogitur ille absque ullo examine latam sententiam executioni mandare. At si haec ita sunt, perspicuum est protestationem, quam faciunt iudices fidei, inanem

esse,

esse, vacuum, & illusoriam. Conferatur haec agendi ratio cum illa, quam tenuit antiquitas, ac continuo patebit maximum utriusque discrimen. Hanc maiores nostri damnassent ut turpissimam hypocrisim, neque propterea abstinuissent a nota Ithacianae saevitiae Inquisitoribus fidei inurenda.

VII. Quare mirum non est hoc Inquisitionis tribunal gravissimas passum esse tum ab initio, tum progressu temporis difficultates, ac plurium in Ecclesia excitasse querelas. Cum enim christianae fidei depositum potissimum episcopis commissum sit, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, & quorum propterea munus est puritatem fidei servare, in errores atque errantes inquirere, eosque arguere, increpare, corrigere, visum est non absque iniuria episcopalis auctoritatis ac muneris transferri illud posse in alienos, quos Romanae Curiae potentia armatos vel ipsi

epi-

episcopi sequi tenerentur. Illud quoque non minus absurdum videbatur, eam fidei Inquisitionem, quae ab apostolicis temporibus accepta sita erat in praedicatione, doctrina, ac fraterna correctione, & quae cum ad ultimum perveniret, desinebat in separationem a communione Sacramentorum, repente conversam in hostilem agendi rationem, arma sumpsisse, satellites, ergastula, carceres, rogum ad haereticos corrigendos, more quorumdam populorum, qui plenissimi superstitionis rem diis gratam facere existimabant, cum hostes penatum, ac patriae religionis immanissima morte plectebant. Id sub initium multis displicuit; quare nec Principes licet saepius moniti, & excitati a Romana curia induci potuerunt, ut opem, & arma ferrent ad saeviendum in haereticos Regularibus ad id muneris destinatis; hinc primum isti se se continuerunt in explorandis personis, ac numero haereticorum, & diligentia episcoporum excitanda ad haereticos

inse-

insectandos, dicti propterea *Inquisitores fidei*; sed aucta postea fuit horum potestas sub Federico II., qui eorum patrocinium suscepit, ac plura edicta vulgavit, quibus haereticos omnes igne comburendos esse decrevit, poenitentes vero perpetuo carceri addixit, quamquam, novis ortis inter ipsum ac Romanum Pontificem dissentionibus, eum, qui expectabatur, fructum recensita edicta non pepererunt, sed cum post mortem Federici Innocentius IV. magnae partis Italiae arbiter esset, ministerium Inquisitorum ad formam cuiusdam tribunalis, seu fori componere voluit; atque id facilius impetraret, statuit, ut episcopi, & laici Principes una cum Regularibus rem agerent adversus haereticos, pluribus sancitis legibus, ac postea edita Bulla, quam 31. capitulis constantem ad Rectores omnes, & Communitates transmisit, & severissime observari iussit pro feliciori exitu novi instituti, facta quoque Inquisitoribus facultate violatores ple-

ctendi

ctendi per excommunicationem, atque interdictum, atque hoc pacto novum illud institutum insinuari coepit in varias Italiae provincias.

VIII. Sed in aliis regionibus introduci non potuit; immo ubi introductum fuerat, exosum esse coepit cum ob pecuniarum extorsionem, tum ob immanitates, quas Fratres mendicantes exercebant. Quo factum est, ut septem post annos illud reformare debuerit Alexander Innocentii successor, idemque postea praestiterint Pontifices posteriores, reddita episcopis maiori auctoritatis parte, quae primum ablata eis fuerat. Atque hac ratione in Etruriam admissum fuit, & in Aragoniam, Hispaniam, & etiam in quasdam Germaniae, & Galliae civitates transivit. Sed varia extitit ipsius fortuna. Nam alicubi perterrefacta societas atrocitate Inquisitorum hos vix receptos eiecit. Alibi vero, ut in inclita Venetiarum republica, eiusmodi tribunal receptum

non

non fuit, nisi ita legibus temperatum, ut nec civium securitati, nec reipublicae moribus adversaretur. Atque ad hanc normam illud primo in ditione sua redegerat immortalis LEOPOLDUS magnus Etruriae Dux, fulgentissimum Principum exemplar, vere parens populorum, ac piissimus catholicae religionis tutor ac vindex; qui postea malorum experientia commotus, satius duxit radicem mali prorsus avellere, quam mitioribus remediis malum lenire; id quod egit magno bonorum omnium plausu, funditus everso eo tribunali, ac restituta episcopis primaeva auctoritate, non secundum saeculi, sed secundum Ecclesiae spiritum exercenda (*). Qua in re secutus est

PETRUS LEOPOLDUS &c.

(*) *Cum noverimus, praecipuum esse Regis officium, atque ab imperiali auctoritate inseparabile, ea adhibere media, quae a suprema potestate nobis suppeditantur, ut nostra sancta reli-*

est gloriosissimum MARIAE THERESIAE AUGUSTAE Matris, & IOSEPHI II. AUGUSTI Fra-

---

religio pura semper, & integra conservetur, & defendatur, mature, ut iustum erat, tribunalis sancti Officii iura perpendimus. Consideravimus quoque iustissimas constitutiones variis temporibus in nostris felicissimis regionibus promulgatas, ut huiusce tribunalis ministri intra illos limites continerentur, quos verus zelus, & primorum Ecclesiae saeculorum exempla praescribunt; cum quicumque a recta fide infeliciter aberraverant, non ut poenas subirent, perquirebantur, sed ut per mansuetudinem, & charitatem ad sanctae Ecclesiae sinum reducerentur. Observatum est, quod si Ecclesia post duodecim saecula congruum iudicaverit, sanctam hanc mansuetudinem, atque patientiam aliquantisper suspendere, proindeque tribunalia constituere iis instructa legibus insoliti rigoris, quae episcopos certe decere non poterant, unde factum fuerit, ut fidei caussae ab eorum iurisdictione subtraherentur; ad id profecto ob caussas plane singulares,

Fratris exemplum, qui iamdiu malum hoc a regnorum suorum provinciis depulerant;

T &

gulares, & per temporum infelicitatem coacta fuit. Hae vero rationes cum desierint, quae Ecclesiam suadere poterant, ut minus malum pro maiori evitando toleraret; plerique Principum quieti publicae providerunt, vel tribunal sancti Officii penitus supprimentes, vel ipsius constitutionem, legesque moderantes. Prae omnibus autem ad hanc rem pertinentibus constitutionibus illa praecipue recognoscenda est, quam summa cura, prudentia, & efficacia AUGUSTISSIMUS *noster* PARENS *gloriosae memoriae sancivit anno 1745., ex quo tempore irregularitates Inquisitorum, & tyrannides antea frequentes in Etruria prorsus evanuerunt. At considerantes, S. Officii tribunalia nunc omnino inutilia esse in magno hoc Ducatu, solosque episcopos sacrum fidei depositum a Deo accepisse, & maximam illis iniuriam inferri, praecipuam ipsorum potestatis partem cum aliis dividendo, immo ipsos, si soli in ea exercenda fuerint, magis magisque vigilaturos, ut recti*

illius

& catholicam Ecclesiam ab ea labe purgaverant . Sic varium exitum habuit Inquisitionis

---

illius exercitii Deo rationem reddant, & Principi ; idcirco hoc Inquisitionis tribunal prorsus abolere decrevimus , sicuti reapse ex nostrae supremae , absolutaeque potestatis plenitudine abolemus ; mandantes primo , ut ex tempore promulgationis praesentis regii edicti , in Inquisitoribus , eorumque Cancellariis , in Vicariis Foraneis , & in quocumque sancti Officii ministro omnes illae facultates cessent , quarum exercitium nobis hactenus placuit tolerare . II. *Ut sublatis quam citissime , & destructis ab exterioribus ianuis domuum Inquisitorum Florentiae , Senis , Pisae , quibuscumque inscriptionibus , titulis , vel aliis signis ibi quondam Inquisitionis sedem permansisse indicantibus in propriorum conventuum clausura incorporentur , & includantur , ut non aliunde , quam per ianuam caeteris fratribus communem ad eas haberi possit accessus .* III. *Ut ab Magistratu Florentiae supremo , ab Auditore Gubernii Senis , & ab Audi-*

tionis tribunal, alicubi receptum, alibi constanter reiectum, & ubi receptum fue-
T 2 rat,

Auditoribus Vicariis Pisae, & Liburni nostra auctoritate, & nomine omnium bonorum mobilium, & immobilium Sancti Officii ius possessionis acquiratur. IV. Ut statim Inquisitores, & alius quicumque minister, vel Vicarius Foraneus, nisi nostram regiam indignationem velint incurrere, debeant propriis episcopis tradere archivia, actus, processus, & alia quaecumque scripta, quae ad abolitum eorum ministerium quomodocumque pertineant, debitum rescriptum recipientes, quod Auditori iuris regii secretario sollicite restituant. V. Ut fundi & redditus, quos in Etruria sanctum Officium possederat, vel eidem fuerant designati, in subsidium Paroeciarum, quae restaurationum indigeant, vel in pensionis augmentum attribuantur, & erogentur. VI. Ut episcopatus in usurpatam de caussis fidei cognitionem redintegretur, earumque processus, neque quoad formam, neque quoad substantiam, ullatenus differre debeant ab iis, qui in cae-

rat, deinceps avulsum, & ubicumque adhuc subsistit, aetate nostra maxime mitigatum.

caeteris ecclesiasticis criminalibus caussis iure observantur. Confidimus, episcopos hanc sibi legem sponte facturos, ut meminerint, quod maius scandalum alicuius processus, vel damnationis strepitus pariat, quam error transiens: quod ad peccantis emendationem, atque ad caeterorum aedificationem admonitiones magis prosunt, & exhortationes, & quidquid pastoralis moderatio, & charitas, quam ad exemplum quoque aliorum profiteri debent, illis suggerent: cum vero casuum circumstantiae exigent, ut cum rigore procedatur, & etiam brachium saeculare adhibeatur, cum nobis superius indicata media per experimentum non suffecisse constabit, id libentissime concedemus. Haec est voluntas nostra, quam omnino observari praecipimus, ex nostrae supremae potestatis plenitudine quibuscumque legibus, decretis, consuetudinibus, privilegiis, hisce nostris constitutionibus contrariis, derogantes.
Dat. die 5. Iulii 1782.

tigatum. Talis semper fortuna fuit humanarum institutionum, quae a spiritu, & indole Ecclesiae catholicae aberrant. Artibus, ac potentia invectae, opinionibus, moribusque aetatis adiutae latius propagantur, ac diu aliquando subsistunt, sed varias identidem formas induunt, evanescunt, ac redeunt, donec tandem pleniore veritatis luce adveniente prorsus intercidunt. Iam supra monuimus rudioribus iis saeculi dominatum fuisse hominum ingenium ferociae plenum; leges poenales adversus haereticos sanciverant Principes; Ecclesiastici eas leges probaverant obliti veterum canonum, ac sibi fas esse putaverant quidquid legibus Principum decretum erat. Hinc coniuratio veluti facta utriusque potestatis ad saeviendum in haeticos. Quo factum est, ut post saeculum duodecimum, & in comitiis Principum, & in synodis episcoporum frequentissime ageretur de modo haereticos insectandi. Quid ergo mirum natum esse eo tempore tam

dissonum a lenitate christiana Inquisitionis tribunal, ac diu vigentibus immitioribus saeculi moribus substitisse fultum legibus synodorum, ac Principum? Sed vel ipsa temporum conditio, ac varia ipsius fortuna satis commonstrant illud plurimum abhorrere a religionis indole, & a spiritu Ecclesiae christianae.

IX. At enim cum omnis bene instituta societas remedio non careat, quo malos in officio continere possit, eosdemque cohibere, anne putabimus solam societatem christianam vim nullam coactivam habere, qua rebelles filios coerceat, ac plectat? Ergone censebimus Christum ita inopem, & vacuam eam fundasse, ut omni adversus hostes subsidio destitutam voluerit? Atqui omni vi exteriori coactiva prorsus Ecclesia caret, quae neminem excipit, neminem retinet nisi volentem. Haec enim Civitas desursum est, non ancilla, sed libera, non timore, sed amore regenda. Eius firmitas super petram innititur, ad-

versus

versus quam portae inferi non praevalebunt. Haec divina virtute, ac promissionibus fulta nulla impiorum, aut haereticorum superari potuit perfidia; sed adversus hostes fidei suae non arma, non vim, non copiam militum, ut Mahumetana, opposuit, sed arma militiae caelestis, spiritum virtutis Dei, persuasionem, doctrinam, lenitatem, patientiam. Hisce subsidiis nata est, ac semper floruit Ecclesia, numquam fortior, numquam gloriosior, quam cum hisce adminiculis usa est. Hanc indolem esse religionis christianae, hanc esse Ecclesiae nostrae proprietatem non semel in antegressis capitibus ostendimus. Cur ergo ad fidem divinam suffragia terrena quaeruntur? Cur opus Dei humanis subsidiis superstruimus? Hac sane ratione inops virtutis suae Christus arguitur; ac divinae promissioni iniuria irrogatur. Utamur igitur iis mediis quae Christus instituit, eique suam caussam dimittamus. Novit ipse hominum renes, & corda; no-

vit opportuna tempora , quibus Ecclesiae suae succurrat . Ipse , qui facit de tenebris lumen splendescere , ac de lapidibus eruit filios Abrahae ; ipse suum tuetur opus , ac de adversis potestatibus triumphum reportat . Nostrum est sustinere Dominum in patientia , ac interim praedicatione , consilio , precibus exhibere fratribus ministerium verbi , & errantes coarguere in omni patientia , & doctrina .

X. CAETERUM etiam Ecclesia christiana habet suam vim , quae excellentissimo ipsius fini respondet , ac vim quidem humana quavis fortiorem . Habet enim magnum illud , atque arctissimum conscientiae vinculum , quo nihil fortius esse potest , & a quo praecipuam vim suam ipsae leges humanae mutuantur . Omnibus enim praecepta sua intimat , Deique nomine observanda esse praescribit . Hanc promulgationem rite factam conscientiae obligatio consequitur , quae transgressorem gravi crimine innectit . Dixit enim Christus :

qui

qui vos audit, *me audit*; *qui vos spernit*, *me spernit*: & iterum: *qui verba mea non audit*, *habet qui iudicet eum*; *sermo enim*, *quem locutus sum*, *ipse iudicabit eum in novissimo*. Quis vero non intelligit divinam huius potestatis originem? Quid efficacius ad animum cogendum esse potest, quam internam eidem obligationem ingerere, eumque gravis criminis reum apud supremum iudicem facere, qui obligationi non pareat? Nihil sane hac potestate excellentius, nihil potentius excogitari potest. Id tamen a paucis intelligitur, quoniam carnales homines divina ad instar humanarum rerum concipere solent, ac sensibilia spiritualibus anteponere. Verbera, catenas, flagella, mortisque instrumenta, quae vim inferunt corporibus, homines verentur, & horrent; divinam autem vim, quae interius animum ligat, eumque detrudit ad inferos, quoniam ea sensus non afficit, non aestimant homines, nec, uti par est, reverentur. Verum id non arguit

in Ecclesia Christi debitae potestatis defectum, sed potius humanarum mentium turpissimam perversionem. Agit de hoc argumento vir clar. Aloysius Litta Mediolanensis Ecclesiae Metropolitanae Canonicus in libro *de iure statuendi impedimenta matrimonium dirimentia &c.*, quem secundis curis recognitum, novisque auctum adnotationibus in dies proditurum exspectamus.

XI. Est demum in Ecclesia alia potestas, terribilis sane, ac formidanda, qua scilicet potest iure suo e gremio repellere inobedientes, sibique rebelles, ac contumaces filios, per quam separantur rebelles a communione spiritualium bonorum, & a participatione Sacramentorum, quae sunt sacra ea symbola, quibus societas christiana colligatur. Quid vero terribilius contingere homini potest, quam eiici extra arcam salutis, quam separari a societate Christi, ac Satanae tradi in interitum carnis? Haec sane qui non perhorrescit, qui ab his se moveri non sentit, quamvis

exilio,

exilio, carceris squallore, bonorum iactura, mortisque conspectu terreatur ad fidem suscipiendam, numquam sane corde confitebitur, quod vis extorquet ab ore. Quare haec efficient fictos catholicos, quos apertos haereticos novimus; atque ita lupi agnorum pelle vestiti longe maius gregi damnum afferre poterunt, quam propria pelle contecti. Isti enim se produnt omnibus: ad horum praesentiam attentius Pastores invigilant, suumque gregem custodiunt, avertuntque periculum instructione, doctrina, consilio, monitis, precibus. Hisce enim studiis utendum est Ecclesiae Patribus, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, ne crescat zizania, ac suffocet frumentum, ne lupi rapaces gregem disperdant. Hisce mediis Ecclesiam suam Christus instruxit adversus haeresum, errorumque contagium; sed noluit ipsam ad avertendum fidelium periculum arma in haereticos convertere, eosque mactare, ac perdere. Immo iussit ante tempus non

esse

esse extirpanda zizania, ne simul eradicetur & triticum; per Apostolos monuit haereses esse (portere ad probationem fidei; atque exemplo Pauli commonstravit, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, non esse hominem occidendum, sed tradendum in interitum carnis, ut spiritus eius salvus fiat, caeteri vero fideles ab eius contagio sollicite caveant. Hisce armis munivit Christus Ecclesiam suam, eaque satis esse iudicavit ad ipsius defensionem, atque conservationem. Qui ad haec humana subsidia, vimque temporalem adiungit, verbo Dei addit; quod Dei non est, & aliam ab ea, quam Christus fundavit, Ecclesiam sibi confingit.

CAPUT

CAPUT XIV.

De tolerantia civili ; ac primum status quaestionis exponitur ; quam partem, & quo titulo habeat Princeps in religionis negotio, breviter indicatur.

I. SED satis, ut puto, dictum est de tolerantia ecclesiastica ; nunc pauca de civili, & quasi per summa capita ; nimium enim excresceret oratio, si rem pro ipsius dignitate, & amplitudine tractare vellem. Quare mihi proposui principia tantum indicare, quantum satis est ad ponendam sub oculos rerum connexionem, & ordinem. Ac primo quidem huc revocandum est, quod capite I. de eiusdem civilis tolerantiae definitione, eiusque a permissione discrimine disseruimus. His vero suppositis, paulo altius rem repetendam esse video. Nam Princeps spectari potest

qua

qua parte simpliciter Princeps est, sive caput societatis, cui praeest, & qua parte Princeps christianus est. Potest enim dubitatio suboriri, an Princeps, qua Princeps est, debeat, vel licite possit tolerare in religione dissidentes. Ac si definiatur id posse, quaestio rursus institui potest, an idem liceat Principi, qua parte christianus est. Quaeri enim potest, an religio christiana, quam Princeps profitetur, ac tueri debet, ab eo postulet, ut intolerans ille sit, nec in ditione sua diversas sectas patiatur. Revera intolerantes ex iure tutelae, quam christiani Principes debent Ecclesiae, praecipuum haurire solent argumentum, quo probent eos pati non posse dissidentes in fide. Quare videntur distinguere munus Principis ab onere Principis christiani. Sed cum hoc onus eidem Principi, qua parte christianus est, non adveniret nisi ex doctrina, & indole religionis, quam profitetur, iam intelligitur totam quaestionem eo recidere, ut inquiratur, an

an religio christiana praescribat exterminandos esse haereticos, vel schismaticos. Quae sane quaestio facile ex iis explicatur, quae de tolerantia ecclesiastica hactenus exposita sunt. Vidimus enim quaenam sit in hac re religionis indoles, & quinam spiritus Ecclesiae christianae. Hinc potissima quaestio est de Principe, qua parte Princeps est, & societatis caput, an scilicet iure potestatis, ac muneris, quo fungitur, expellere debeat, & exterminare dissidentes in religione? An ex principatus natura intolerantia consequatur in religionis negotio? Quod antequam definiatur, iam intelligitur inquiri oportere, an, & quam partem habeat Princeps in sacra ratione sui muneris? De iure Principum in sacra multi scripserunt; nos ea tantum attingemus in unum collecta principia, quae necessaria sunt ad quaestionem dirimendam, quam habemus prae manibus. Haec vero, quae Principis universim sunt, viam sternent ad ea, quae sunt Principis

christia-

christiani, quae seorsim considerata facile ex iis erui possunt, quae de christiana tolerantia hactenus dicta sunt.

II. Iam vero si de religione universim loquamur, dubitari non potest de iure regiae maiestatis in sacra. Sufficit attentionem convertere in regiae maiestatis originem, & obiectum. Inde enim ortam esse intelligitur societatem, quod cum singuli homines naturae insuperabili instinctu velint esse beati, quietam scilicet, ac tranquillam agere vitam, singuli autem sibi sufficere ad id obtinendum non posse tum sensu suarum indigentiarum, tum diuturna experientia intellexerint, in unam plurium societatem coire decreverunt, ut mutuis subsidiis expleta cuiusvis indigentia omnes ea felicitate potirentur, quam incessanter quaerunt. Ergo societatem homines ab initio eo consilio inierunt, ut perfectionem, & felicitatem, & ab aliena vi securitatem, quam singillatim sumpti acquirere non poterant, coniunctionis praesidio, viri-

busque

busque collatis sibi compararent. Quare iubente quodammodo natura societas inita est; si enim ut homines felicitatem quaerant, ea imperat, iura etiam det omnia oportet, sine quibus felicitas comparari non potest. Ex quo patet societatis consilium, & obiectum esse felicitatem, ac securitatem sociorum; omnesque socios obligari erga singulos ad eorum felicitatem, & securitatem collatis viribus promovendam. Quod ut facilius homines assequerentur, publicam potestatem, sive personam aliquam vel singularem, vel moralem eligere decreverunt, in quam cives iura transferrent, ac curam administrandae totius societatis; ad quam nempe spectaret actiones singulorum ad bonum dirigere, omniumque felicitatem debitis mediis promovere. Is autem, cui voluntate populi delata est cura publicae quietis, ac felicitatis, summus Imperans, aut Princeps dicitur; atque ad hunc spectare intelligitur ius, & administrationem rerum omnium,

 quae

quae ad publicam tranquillitatem pertinent. Quare & ius ferendi leges bono publico necessarias, & eos puniendi, qui societatem perturbant, is habeat necesse est; ut ea procurare possit, quae publico inserviunt bono, & ea avertere, quae nocent quieti, ac securitati reipublicae. Ex hoc principio dimetiuntur iuris publici tractatores iura regiae maiestatis. Nobis satis est indicasse huius originem & obiectum, ut illud ius eruamus, de quo sermonem habemus.

III. Constat enim religionem adeo esse cum bono societatis connexam, ut sine illa societas consistere nequeat. Est enim religio arctissimum vinculum, qua societas colligatur; a quo vim suam mutuantur pacta, foedera, conventiones; & quo dissoluto, pietas omnis intercidit; eaque pereunte probitas, honestas, virtus omnis extinguitur. Latissime rem hanc pertractarunt cum veteres tum recentiores. Quare in ea immorandum non est. Id unum sufficiat animadvertere vel ipsos religionis osores ad

po-

populos in officio continendos novisse illius necessitatem. Hinc aiebat Polybius hist. lib. IV. cap. 34. *Si ex solis sapientibus consistere posset respublica, esset fortasse totum illud genus non necessarium: nunc cum omnis multitudo sit levis, plena nefariarum cupiditatum, ira aestuet ancipiti, & ad vim iracundiae impellatur, hoc restat, ut terroribus nec manifestis vulgus cohibeatur. Idcirco videntur mihi veteres nec temere, nec sine gravi caussa istas de diis opiniones, & de poenis apud inferos quoad vulgus induxisse; contra autem temere, & sine ratione, qui nunc vivunt, illas reiicere.* Hinc & Ovidius cecinit: *expedit esse Deos, & ut expedit esse putemus.* Quod quidem omnes etiam legislatores perspexerant, qui semper religionem ad vim legibus comparandam adhibuerunt. Quare & historicis omnibus traditum est nullam umquam societatem sine aliqua religione existisse. Iam vero cum tanta sit religionis cum reipublicae securitate connexio,

concipi omnino non potest, nisi absurdissime nullam in eius regimine partem habere Principem, sive summum Imperantem, penes quem tota residet cura, & adminisratio publicae quietis. Si ex munere regiae maiestatis omnia iura in eo esse debent, quae ad publicum bonum conducant, inepte prorsus & immerito ab eo ablegabitur ius in sacra, sive in religionem, cui maxime alligata est securitas publica. Ergo si generatim de religione loquimur, si Principem spectamus, prout Princeps est, erit in eo ius circa doctrinam publicam, circa ceremonias, ritusque, quibus divino numini exhibendus est honor; eius erit statuere communibus suffragiis religionem publicam; eritque religio in civitate tamquam publica lex, ex qua hominum actiones ad cultum Dei externum dirigantur; atque huius sacerdotes a caeteris reipublicae ministris non different, atque adeo eorum electio, muneris praescriptio, ac totius exterioris regiminis administratio ad summum Imperantem spectabit.

VI.

IV. Hinc apud gentes omnes commissa regibus cura fuit religionis, atque sacrorum. Reges sane cum apud Graecos tum apud Romanos divini cultus procurationem habebant. Constat etiam eos elegisse ministros, atque horum functiones disposuisse, immo vel ipsa sacra fecisse, diisque immolasse. Veterum monumenta eruditis notissima sunt, ac legi possunt collecta in prolusione Francisci Conforti adversus Grotium cap. XI. Id unum sufficiat animadvertere, quoniam summus Imperans erat omnium sacrorum, ac religionum iudex, & praeses, eum Romae *Pontificem maximum* renuntiatum a populo fuisse in comitiis. Quam appellationem retinere postea voluerunt Imperatores, ut facilius ipsi *universas religiones, & sacra in sua haberent manu*, ut inquit Dio. Quo factum est, ut Augusto ea dignitas tribui coeperit in titulis. Neque appellatio inanis erat; sed Augusti tamquam Pontifices maximi sacra omnia in orbe constituebant, & publicum

deorum cultum regebant, omniaque ordinabant, quae ad religionem spectabant, uti liquet ex Svetonio, Tacito, aliisque scriptoribus. Neque Ethnici solum Imperatores eo titulo decorari voluerunt, sed nec Constantinus cum ad fidem christianam conversus est, illum dimisit, eoque iam mortuo tali nomine appellari passi sunt eius filii Constans, atque Constantius, caeterique Imperatores, qui successerunt. Quod eo consilio fecisse creduntur, ut cum maximo Ethnicorum populo imperarent, titulo Pontificis maximi retento, qui iure gentium eis tribuebatur, de religionibus iudicium ferrent, Ethnicos sacerdotes regerent, & de sacris negotiis decernerent. Legi potest citatus Confortius, qui plura monumenta adversus Grotium collegit, licet non semper apte ea collocet, nec semper recte ratiocinetur.

V. Neque hoc principum ius desiit in Hebraico populo. Antequam is in gentem, & rempublicam conveniret rerum

cum

cum temporalium tum sacrarum cura erat apud patremfamilias, qui & aras aedificabat, Deoque immolabat. Cum vero formam populi, ac nationis accepit, Deus Theocraticam reipublicae formam instituit. Ipse leges condebat de sacris & civilibus rebus consonas gentis ingenio. Magistratus, ac iudices a Deo renunciati sunt. Moyses Dei nomine omnia civilia ac sacra administrabat. Haec forma reipublicae mansit etiam post mortem Moysis, immo & regum tempore perduravit; nam sicut antea Deus iudices delegabat, sic & reges ipse renunciabat, & arbitratu suo repellebat; & quidquid ab iis gerebatur, id auctoritate divina susceptum erat, quo vetus illa Deum consulendi ratio per Urim, & Thummim pertinuit. Summus igitur Imperans in Hebraica reipublica omnia tum civilia, tum sacra gerebat per eos, quos eidem praefecerat, scilicet per iudices, vel per reges, qui propterea & leges interpretabantur, & quaestiones de sacris dirimebant, & Deum

consulebant, & sacris praeerant ministris. Politicis quidem sacrorum moderatoribus etiam sacerdotes adiunxit, atque his quaedam munera reservavit, cuiusmodi erant aram adolere, victimas offerre &c. Sed publicum divini cultus regimen, ac iudicium de rebus ad religionem pertinentibus ad politicos ita pertinuit, ut una munerum sacerdotalium executio sacerdotibus reservata fuisset.

VI. Haec sacerdotalium munerum distinctio umbra, ac typus erat novi sacerdotii instituendi per Christum. Hic enim in nova lege peculiare sacerdotium constituit, quo humana circa sacra potestas quibusdam finibus coercita fuit. Cum enim nondum esset delectus a Deo ministrorum chorus, qui sacra constituerent, eademque facerent, nihil convenientius esse poterat, quam iis Pontificatum dare, qui duces erant in hominum coetibus. Hinc ante conditas urbes patresfamilias sacra peragebant; & in urbibus Reges, civilesque rectores omnia Pontificum munera obibant.

Nam

Nam ratione docebantur homines excellentissima religionis officia eminentioribus in societate demandari oportere. Sed in lege Mosaica renuntiati sunt sacerdotes. Hinc fieri coepit munerum distinctio, ac separatim a regibus sacrorum executio sacerdotibus dimissa est. Sed amplior sacerdotum potestas in nova Christi Ecclesia facta est. His enim Christus non solum executionem sacrorum, sed etiam cognitionem, ac iudicium de rebus ad religionem spectantibus concredidit. Hos enim elegit, ut doctrinam suam panderent, de ipsa iudicium ferrent, & sacra ab ipso instituta peragerent. Novam ipse doctrinam, ac religionem attulit de caelo humano generi. Hanc discipulis suis committere voluit, eorumque successoribus. Hos esse legatos suos satis evidenter monstravit. Parendum igitur fuit novo divinae providentiae ordini, cui omnis humana potestas subdita est.

VII. Sed cavit Christus, ne per institutionem novi sacerdotii ea pars in religionis

ligionis negotio humanae potestati subtraheretur, quae publicum bonum, ac reipublicae felicitatem respicit. Hanc cum iure Principatus connexam integram Principibus terrae reliquit. Vel ipos sacerdotes, quos elegit, sublimioribus potestatibus in societate civili non secus ac reliquos cives subditos esse decrevit; vel ipsam religionem, qua parte societatis formam attingit, iis subordinatam esse voluit. Iam vero religio cum politico, ac civili societatis bono connectitur quod ad exteriorem ipsius disciplinam. Haec enim necessario, ut aiunt, subingreditur ordinem rerum politicum, atque civilem. Ergo dempta fidei, morumque doctrina, quam Christus per legatos suos annuntiavit, ac dempta sacrorum administratione, quae sacra Christus instituit; quarum rerum complexio religionis substantiam, ac ipsius interiorem, ut loquuntur, disciplinam constituit; quod reliquum est in Ecclesia, id totum subordinatum esse intelligitur regiae maiestati. Nec enim Christus

iura

iura Principum laedere voluit, nec politicum societatis ordinem turbare: nam expresse dixit regnum suum non esse de hoc mundo; atque intra rerum spiritualium ordinem Ecclesiae suae potestatem coercuit. Nihil ergo derogatum est per Christi instituta iuri Principum circa sacra, qua parte religio cum reipublicae bono coniungitur. Ergo & leges Ecclesiae, quae ad exteriorem disciplinam pertinent, regiae maiestati subordinatae sunt, eiusque munus est eas probare, confirmare, corrigere, vel mutare prout bonum reipublicae postulat; rursus regiae maiestatis est ea omnia impedire, quae publicam quietem turbare possunt, omniaque media adhibere, quae ad eamdem fovendam, ac conservandam conducunt. Hinc eius est convocare concilium ad lites finiendas, invigilare super Ecclesiae Pastores, ut rite absque societatis perturbatione muneribus suis fungantur, ut bona ecclesiastica rite administrentur, ut omnes ecclesiasticorum coetus in officio con-

contineantur, & quae societati oneris sunt, vel detrimenti, supprimantur, ut nihil demum in ecclesiastico regimine contingat, quod vel minimum societatis bonum laedere possit. Atque hoc iure usos fuisse Principes innumeris historiae ecclesiasticae monumentis proditum est, a quibus afferendis abstineo, quoniam aetate hac nostra multi ea collegerunt. Atque eo iure usi sunt Principes, ac uti debent non tam ratione tutelae religionis, quam tutelae societatis, cuius cura iis commissa est. Mihi enim videntur rem non bene metiri, qui eam partem, quam in religionis negotio Principi tribuunt, a tutela religionis Christianae unice desumunt, quasi nihil cum iure Principum in rebus ad religionem pertinentibus connexum sit ratione habita tutelae, quam societati debent impendere, cum tamen hoc sit potissimum Principum munus. Ex quibus intelligitur rerum naturam non bene perpendisse, nec iura Principum rite novisse, qui eos se immi-

scere

scere rebus Ecclesiae posse existimant, non quatenus unice Principes sunt, sed quatenus sunt christiani.

VIII. Equidem fateor etiam eo titulo, quo christiani Principes sunt, habere eos ius, sive potius onus christianae Ecclesiae tuendae. Atque hoc titulo plura Principis officia in rebus ecclesiasticis dirigendis recensent iuris interpretes, ut videri potest apud Petrum de Marca lib. 2. cap. 10., apud Franciscum Confortium in prolusione laudata cap. 13., aliosque plures. Verum e quo fonte profluat tuitionis ius in christiano Principe, atque officia cum eodem connexa, inspiciendum est. Nam vel eidem hoc ius advenire intelligitur, quod ex doctrina religionis christianae plura reges facere debeant, ut reges sunt, cum religio singulorum officia, ac ideo etiam Principum accurate describat; ac tum oportet Principem ratione religionis, quam profitetur, honorem Dei promovere, verum ipsius cultum amplifi-

care , atque defendere , eius ministros revereri , & alere , subditos in officio continere , virtutis studium incendere , veritatem tueri , atque ad aeternam salutem hominibus comparandam aptiora media seligere . Hunc in sensum aiebat Augustinus contra Cresconium lib. 3. : *in hoc reges , sicut eis divinitus praecipitur , Deo serviunt , in quantum reges sunt , si in regno suo bona iubeant , mala prohibeant ; non solum quae pertinent ad humanam societatem , verum etiam quae pertinent ad divinam religionem* . Et in epist. ad Bonifacium ; *aliter* , inquit de Rege , *servit Domino , qua homo est , aliter qua Rex est : in hoc ergo serviunt Domino reges , in quantum sunt Reges , quum ea faciunt ad serviendum illi , quae non possunt facere , nisi reges* . Nimirum habent & Reges peculiaria sibi munera a religione praescripta , quae exsequi tenentur , quatenus christiani Reges sunt . Vel ius tuitionis Ecclesiae in Principe christiano

stiano desumitur ab utilitate, quae a religione in societatem manat. Quo sensu scribebat Constantinus Magnus ad Anulinum Proconsulem Africae. *Ex multis rebus constat religionem illam, qua summa divinae maiestatis reverentia custoditur, spretam quidem maxima reipublicae importasse discrimina; eamdem vero rite acceptam, & custoditam & nomini Romano maximum prosperitatem, & cunctis mortalium rebus, divina id tribuente magnificentia, praecipuam felicitatem contulisse.* Si hac ratione religionem spectare velimus, eius tuitio pertinet ad ius Principis, quatenus Princeps est, qui debet ea subditis suis procurare, ac conservare, quae ad societatis felicitatem conducunt. Vel demum in christiano Principe ius tuitionis ex eo repetitur, quod ille vi muneris sui tueri debeat publicam, ac dominantem religionem; ac tum illud in iura relabitur, quae sunt regiae maiestati adnexa. Quae sane saltem indicare

dicare volui, ut intelligatur, quo sensu Ecclesiae tuendae provincia Principibus christianis demandata sit, quatenus sunt christiani, & quatenus Principes sunt. Sunt enim plures, qui confusis notionibus delectantur, & vocabula sine significatione adhibentes omnia miscent, atque confundunt. Illud certum est his omnibus titulis, quos recensuimus, maximam Principes in rebus ad religionem pertinentibus partem habere, eamque pro diversitate rerum ac temporum magis magisque exercuisse synodos convocando, eis praesidendo tranquillitatis caussa, leges ad disciplinam exteriorem pertinentes vel condendo, vel confirmando, vel permutando, prout bonum reipublicae postulabat; qua parte religio christiana nihil prorsus detraxit iuribus regiae maiéstati coniunctis, ut hactenus ostensum est, & innumeris constat historiae documentis, quae brevitatis caussa praetereo, cum ut monui, facile apud auctores simul collecta reperiantur.

CAPUT

CAPUT XV.

Statuuntur principia tolerantiae civilis.

I. NOBIS satis est ea brevissime exposuisse, ex quibus intelligi potest origo, & obiectum potestatis civilis, ut inde percipiatur, quo titulo sub ea cadat religio. Ex iis enim constare arbitror religionem potestati civili non subesse, nisi quatenus eadem influit in publicam societatis quietem, ac bonum. Huic enim natura sua praeest humana potestas, nec ratione sui religionem spectat; nisi sub nomine publicae utilitatis. Imperium enim civile eas actiones tantum, quae aliquo pacto ad finem civitatis referuntur, moderatur: in caeteris a legibus naturalibus cives diriguntur: cum enim societatem inierunt, ac spoponderunt se collatis viribus commune bonum promoturos, non praesumuntur eas actiones imperio publico

subiecisse, nisi quae ad salutem publicam, & commune bonum aliquam rationem habent, nec nisi quantum ad eam referuntur. Cum enim cives homines liberi sint, & publico imperio nonnullas tantum actiones subiecerint, quae cum reipublicae bono coniunguntur, & quantum necesse est ad illud assequendum, procul dubio consequitur cives singillatim & simul sumptos libertate naturali gaudere quoad omnes actiones, quae civitatis bonum non laedunt: siquidem libertas non nisi consensu, & pacto exuitur.

II. Ex quo consequitur, cum publica securitas, cui potestas praeest, praecipuum sit poenarum obiectum, poenam iis tantum actionibus imponi oportere, quae publicam laedunt securitatem. Hinc siquae civium actiones vitiosae sint, sed nec iura publica, nec privata laedunt, patet eas poenis civilibus non coerceri. Non igitur iuxta actionum turpitudinem moralem, sed iuxta securitatis publicae laesionem

nem

nem poena imponitur ; atque ideo non semper peccatum morale est etiam peccatum civile , ac plurimum iustitia , ac virtus moralis ab iustitia , & virtute civili distat . Ex his sponte fluit , internas animi modificationes , & intellectus errores per se poenae non subiici . Intellectus enim non doloris timore , aut sensu , sed veritatis praeclaro lumine corrigitur , & illustratur : nemo velle potest , ut aliquid vel falsum , vel verum menti appareat , atque adeo errores muniri licite nequeunt , si nullius iura , atque adeo publicam securitatem non laedunt .

III. Ergo haeresis , & quicumque error in fide civile peccatum non erit , nisi quatenus adversatur publicae securitati . Quod quidem ex duplici capite contingere potest , vel scilicet ratione habita erroris , qui promulgatur , vel ratione habita errantis . Nam si error talis naturae fuerit , ut si deducatur in usum , sociales virtutes evertat , maiestatis iura

profliget, & legum sanctitatem pessumdet, ipse civilis potestatis obiecto, idest publico bono directe adversatur; ac ideo eius promulgatio ipso iure civitatis intelligitur vetita, atque hinc subiicitur poenis. Hac de caussa atheismum, quo omnis tollitur religio, ac inde socialium virtutum fulcrum intercidit, ac ipsa iura regiae maiestatis evertuntur, a Principe severitate legum comprimi posse, ac debere intelligitur. Nam quomodocumque illud systema temperetur, ratione principiorum, quibus constat, ubi populorum animis infigeretur, totam societatem everteret. Quod pati certe non potest summus Imperans, cui illius securitas demandata est. Quare illius promulgatio debita poena coercenda esset. Ratione vero errantis, error vel haeresis fit peccatum civile, cum errans ita se gerit, ut inquietus sit, persecutor, ac societatis, publicaeque religionis perturbator. Tunc enim qui habet communis securi-

tatis

tatis depositum, ut tumultus, ac turbas impediat, inquietum haereticum coercere potest, ac debet. Hoc enim in casu non error intellectus, sed turbulentae voluntatis vitium punitur, ac periculum societatis avertitur. At si haereticus bonae fidei sit, nec societatem turbet, civilibus legibus non subiacet in intellectus sui persuasione. Nam libera res est religio, nec ulli eo titulo inferri vis potest. Hoc principio, ut vidimus, nixi veteres Patres improbabant poenas in christianos latas, quibus cogerentur ad cultum deorum. Quare Princeps iniustam vim pacifico haeretico inferre intelligitur, si in eum legibus poenalibus saeviat. Exit enim ille a finibus suae potestatis, quae vim intellectui inferre non potest, sed eas tantum actiones punire, quae civilem tranquillitatem, & ordinem politicum laedunt.

IV. At enim Princeps maxime christianus non solum est communis securitatis vindex, sed etiam publicae religionis,

nec solum studere debet societatis politico bono, sed etiam verae, aeternaeque felicitati civibus suis procurandae. Sed iam haec obiectio ex iactis principiis nullo negotio explicatur. Si haereticus, vel alterius cuiuscumque sectae homo publicum cultum perturbat, impeditque religionem in civitate receptam, iam perspicuum est eum esse societatis perturbatorem debitis poenis coercendum. Sed iam hic agimus de haeretico, vel secta, quae suis contenta finibus societati detrimentum non affert, nec alienae religioni bellum movet, nec facit iniuriam, quae neminem cogit, nec malis artibus ad se trahit, sed omnes in sua libertate relinquit. Equidem fateor cogi Principes ex professione religionis christianae ad felicitatem etiam aeternam civibus suis procurandam, ac ideo etiam ad ea removenda, quae ab ea assequenda impedimento esse possunt. Verum id facere Principes debent debitis legitimisque adminiculis. Id ex-

sequi

sequi debent non saeviendo in haereticos; quod damnat religio, quam profitentur; sed sollicite curando, ut per episcopos, quae ad fidei sinceritatem, & mores componendos pertinent, populis annuntientur; ut res ad hoc rerum genus spectantes suis legibus muniant; ut ministri Ecclesiae suis muneribus rite fungantur; ut eorum vita emendata, & castigata sit, ac ita Clerici populo prosint verbo & exemplo; ut demum omnia recte in Ecclesia administrentur ad divini nominis gloriam, & animarum salutem. Huic officio se adstringi Theodosius Imperator fatebatur litteris datis ad synodum Ephesinam, quae easdem probavit, & in acta retulit. Aiebat enim societatem, & cognationem quamdam intercedere inter religionem, & rempublicam, ad Principis studium pertinere ecclesiastici status aeque, ac imperii pacem: *ante omnia*, inquit, *in id operam damus, ut ecclesiasticus status eiusmodi*

 sit,

sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quam maxime congruat, idemque ex omnium concordia, & consensione suam tranquillitatem obtineat, tum ecclesiasticarum controversiarum a turbis, & seditionibus liber existat, tum demum ut pia religio ab omni reprehensione immunis perseveret, eorumque vita, qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsus naevo, & culpa vacet. Ergo Ecclesiam tueantur Principes. Hanc tutelam Deus ipse Ecclesiae suae promisit; sed tutelam praestent christiano nomine dignam, Ecclesiaeque spiritui conformem. Coerceant inquietos ac turbulentos cives, eosque a pace Ecclesiae turbanda deterreant. Id muneris eorum est, quibus commissa est non minus Imperii, quam Ecclesiae tranquillitas, quae cum illa connectitur. Sed dum in errantes pacificos saeviunt, dum haereticos, quatenus haeretici sunt, poenis coercent, fines cum regiae maie-

statis,

statis ; tum susceptae tutelae excedunt : Regia quippe maiestas, ut diximus, non punit nisi actiones civiles, quae societatem perturbant : suscepta vero tutela nec sinit aberrare a iure regiae maiestatis, nec ab indole religionis, quae suscepta est in tutelam. Ergo dum Princeps in haereticos saevit, potestatem exercet, quam nec a iure maiestatis, nec a religionis institutis accepit.

V. At enim non sine caussa Princeps gladium portat vindex in iram ei, qui malum agit. Malum autem agit haereticus, qui dum errorem suum disseminat, veneno omnium teterrimo inficit animas, easque trahit ad aeternam perditionem. Ergo tantum malum iure Princeps coercebit. Verum non omnia mala moralia, fatentibus omnibus, cadunt sub ira Principis. Ergo vis gladii ad quoddam malorum genus restringi debet, ad ea scilicet quae sunt mala civilia, quaeque societati adversantur; in his habet Princeps ius gladii. Quare furta, homicidia,

dia, falsa testimonia, & alia id genus merito subiacent vindictae regiae maiestatis. Sed ius gladii non habet Princeps in iis, quae pertinent ad intellectum, vel ad uniuscuiusque conscientiam, cum nullius iura, nec publica securitas periclitatur. Alioquin si pro veritate opinionis saevire Principi licet, cum quilibet veram esse putet sectam quam profitetur, omnibus indiscriminatim Imperantibus, quibus communia sunt maiestatis iura, saevire licebit in dissidentes; ac tum asserere cogimur iustas fuisse persecutiones tyrannorum in christianos, Iaponensium in Missionarios, omnesque aliorum in alios religionis caussa saevitias. Atqui, ut saepe monuimus, veteres Patres ethnicos Imperatores eo titulo redarguebant, quod in christianos saeviendo ab aequitatis & iustitiae lege discederent, quod vellent conscientiae vim inferre, & coactam esse religionem, quae libera esse debet. Noverant ergo ius gladii ad hominis conscientiam, atque intimam persuasio-

suasio-

suasionem extendi non posse. Hoc igitur ius duplici capite restringitur, ab obiecto scilicet regiae maiestatis, quod est publicum societatis bonum, & a privata civium conscientia, quae vim ab humana potestate non patitur.

VI. At enim, si haec vera sunt, etiam atheus titulo conscientiae, ac intimae persuasionis excusabitur. Eadem de caussa, qui ex. gr. doceret furta, adulteria, homicidia esse licita, coerceri poenis ab Imperante non posset. Immo si quis ea committeret putans se non peccare, titulo conscientiae erroneae puniri non posset. Sed haec consecutio ex dictis facile eliditur. Diximus enim ius gladii non a conscientia solum, sed etiam ab obiecto regiae maiestatis restringi. Quare quidquid publico bono opponitur, etiamsi fuerit secundum conscientiam hominis, subiicitur Principis potestati, cuius est avertere omne societatis damnum, vel periculum. Hinc cum atheus adversetur legibus civitatis fun-

fundamentalibus, cum omnem religionem evertat, & vitiorum fraenum, sublato divini numinis timore, ac futurae vitae opinione, penitus tollat; summi Imperantis est talia docentem coercere, quin ullam rationem habeat conscientiae. Simili ratione qui vel licita adversus societatem crimina esse docuerit, vel eiusmodi animi persuasione commiserit, iure a Principe cohibendus est tamquam fundamentalium legum societatis eversor. Res autem aliter se habet quoad haereticum bonae fidei, qui putans eos articulos esse a Deo revelatos, existimat se teneri obligatione magis obediendi Deo quam hominibus, & ex altera parte nec doctrina quam tenet, nec agendi ratione quam adhibet, vel minimum societatem perturbat. Hic sane nullo titulo subiacet iuri gladii, quem Princeps non portat nisi adversus eos, qui malum agunt contra societatem.

VII. At enim maximum malum est erroris venenum cum aeternae salutis di-

scri-

scrimine christiano populo propinare. Id equidem fateor. Sed ille qui venenum propinat, se salutis pharmacum exhibere opinatur. Falso quidem id existimat, nec passim sine culpa. Sed hanc puniet Deus, qui scrutatur renes, & corda, qui tempora sibi reservavit, & locum, quo id est praestiturus. Hoc munus humanae potestatis non est. Sed huius est avertere populi christiani contagium. Assentior, dummodo id fiat debitis mediis, nec ultra fines regiae maiestatis. Si nihil ab haeresi patitur detrimenti societas in bonis corporis, fortunae, aut famae, quae sane stare possunt etiam cum dogmatum diversitate, crimen illud aberrat a iure gladii, & a finibus regiae maiestatis. Hinc si poena civili puniatur, iure suo abutitur Princeps. At enim illud affert animarum damnum, quod peius est omni detrimento corporis, vel fortunae. Sed ubi agitur de animarum salute, alius ordo est, quem proxime, & directe regia potestas non attingit. Huius

enim

enim obiectum est terrena felicitas ; est reipublicae bonum politicum. Cura vero religionis, & salutis animorum, quam humanae potestati Deus commisit, modum quoque postulat sibi proprium, quem violare non potest absque ordinis violatione. Aliis armis utendum est in expugnandis hominum mentibus. Intellectus non poenae timore illustratur, sed veritate, nec veritas persuadetur armis, sed instructione. Ergo curet Princeps, ut auctorem erroris doceat, non curet ut perdat. Pro aliis vero, ne inficiantur erroris veneno, antidotum paret, sed rerum naturae conforme, praedicationem scilicet, instructionem, sanamque doctrinam apponat, qua muniuntur fideles adversus errores, & arguuntur qui contradicunt. In iis quae spectant ad ordinem rerum intellectualium media sunt adhibenda ei proportione respondentia. Si a doctrina ad arma confugias, si erroribus tortores, ergastula oppones, magis caussae imbecillitatem ostendis,

quam

quam caussam iuves, & potius in errore animos obfirmas, quam persuadeas.

VIII. At enim sententiarum in religione diversitas maximam parit confusionem, ac plurimum nocet vel ipsi reipublicae tranquillitati. Hoc nihil est verius. Id plura testantur historiae praeteritae monumenta, quibus infelici experientia didicimus religionum differentiam florentissimis regnis excidium aliquando attulisse, passim vero seditiones civiles, humanique sanguinis effusionem cum ingenti societatis detrimento peperisse. Quot etiam in Ecclesia catholica societati incommoda pepererint Theologorum disputationes, historia praecedentium saeculorum satis commonstrat. Nihil ergo magis curandum est, quam ut unitas doctrinae in religionis negotio servetur; sed quam inde consecutionem eliciant adversarii, certe non video. Ergone ut evitentur seditiones ac caedes, caedes ac seditiones promovendae sunt? Ergone ut unitas doctrinae servetur, abuten-

tendum erit iuribus maiestatis, ac contra fas omne vis inferenda adversus dissidentes? Numquid facienda sunt mala, ut eveniant bona? Unitas religionis servetur, sed congruis adhibitis mediis, non violato rerum ordine, non contemptis naturalis libertatis iuribus. Clamant iura liberum esse quemvis in religionis delectu; nec religionem quidem esse, nisi quae sponte suscipitur. Ordo clamat vim corpori non esse inferendam, ut mens illustretur; non esse tortores, carceres, ergastula adhibenda ad persuadendam veritatem. Haec ergo violari non possunt, ut inde bonum hauriatur. Sed inquis; licite haec fieri queunt, ut avertatur societatis periculum, quod ex dogmatum diversitate imminere potest. Verum periculum illud potius quam ex dogmatum differentia, oritur ex spiritu intolerantiae, quo quisque sibi fas esse credit pro veritate pugnare usque ad haeretici excidium. Eliminetur haec crudelis opinio; ac tum reipublicae tranquillitati non nocebit

bit sententiarum diversitas. Sed id ais; difficile obtinetur, maxime considerata populi indole, ac religionis pretio, quo eadem est apud homines. In hoc ergo nervis omnibus intendat summus Imperans. Curet, ut cum sana doctrina etiam spiritus evangelicae charitatis, quam auream, ac praecipuam Christi legem appellare solet immortalis AUGUSTUS IOSEPH II., subditorum mentibus alte imprimatur. Curet, ut dissidentes ab iniuriis, mutuisque contumeliis abstineant; civilem concordiam observent; sub iisdem civilibus legibus pacifice vivant: irrequietos, ac perturbatores severe coerceat; atque hac ratione exoptatam reipublicae tranquillitatem etiam inter sectarum differentiam servabit. Sic iura omnia inter se amico foedere componet; nullius libertatem laedet; nullius conscientiae vim inferet; muneri suo satisfaciet, & publica quies erit in tuto. Id sane obtinuerunt, & obtinent magni Europae Principes, qui hisce adminiculis utuntur. Novimus enim

florentissimas provincias licet pluribus sectis, ac religionibus divisas summa concordia potiri, curante Principe, ut sua cuique libertas servetur, nec ulli in religionis negotio vis inferatur. Tunc enim passim societas religionis caussa perturbari consuevit, cum vis adversus dissidentes adhiberi coepit. Siquidem isti naturali libertati iniuriam fieri aegre ferentes, ac opinati se pro veritate pugnare, vim vi repellere sibi fas esse & ipsi putarunt. Hinc ortae sunt seditiones, tumultus, excidia. Ergo malorum radix est evellenda, ea nimirum opinio, qua creditur in religionis negotio licitum esse vim adhibere. Hac avulsa, non fictos, sed ingenuos sectatores habebit veritas; nec societatis tranquillitati nocebit error; nec religio per atrocia scelera polluetur; nec regia maiestas e finibus suis aberrabit. Contra ubi ea immanis superstitio dominetur, omnia iura violari passim continget; nec minus licebit catholico Principi extraneam religionem per vim & caedem hae-

haereticorum profligare, quam licuerit olim paganis christianos occidere, & nunc liceat Turcis, vel Iaponensibus exilio, carceribus, morte catholicos mulctare. Idem est enim principum ius, quod iisdem advenit ratione publicae tranquillitatis tuendae, cui ne obsit sententiarum diversitas, si nobis liceat dissidentes insectari, & ipsis fas erit eodem iure nobis vices rependere.

IX. At enim religio evadit lex publica civitatis, quam propterea debet Princeps tueri, ac ideo novatores punire potest, non prout haeretici sunt, sed quatenus a publica religione deficientes leges civitatis contemnunt, ac violant. Verum haec obiectio plura complectitur, quae accurate explicanda sunt. Non inficior societatem posse communi consilio eam, quae sibi placet, religionem, cultumque publicum deligere, ac ita communi suffragio sancitam religionem evadere legem publicam societatis, quam propterea Prin-

ceps, inito cum societate pacto, tueri debet, non secus ac caeteras fundamentales leges. Ex quo consequitur, Principem, qui non uni, sed pluribus nationibus praesit diversam habentibus religionem dominantem, ita singulis imperare oportere, ut singularum libertatem adversus vim tueatur, maxime si pactum cum societate intercesserit. Sed ex quo lex publica effecta fuerit religio, id unum consequitur, illum poenam mereri, qui eam perturbare velit, ac turbas in societate ciere. Hisce finibus continetur vis publicae legis in religionis negotio. Nec enim societas eam legem condere potuit, qua singuli eam fidem, atque conscientiam haberent, quam ipsa amplexa est. Nam iterum repeto liberam esse oportere religionem, nec per leges effici posse, ut aliquid verum, vel falsum intellectui appareat, sed solum per veritatis lumen, ac intimam animi persuasionem. Quare societas habere nequit ius imperandi, ut homines his, vel illis veri-

tatibus

tatibus assentiantur, atque hanc magis, quam aliam conscientiam efforment. Id enim pendet ab intima cuiusque persuasione, quam cum societas per vim dare non possit, nec legem quidem condere potest id iubentem. Ex quo fluit nec poenas quidem posse sancire adversus eos, qui alias de religione notiones, & aliam de Deo sententiam tenent. Id unum ergo iure postulat societas, ut cum libera sit in religionis delectu, eam, quam ipsa amplexa est, nullus perturbet impediatque. Atque hunc in sensum qui societati praeest, dominantem religionem debet ab hostium incursione defendere. Hinc semper eo revolvimur, ut dicamus Imperantem animadvertere iure posse in haereticos inquietos, ac perturbatores publicae religionis, non vero in pacificos, qui vel domi alienam religionem colunt, vel solis rationibus pugnare contenti nihil adversus publicum cultum, ac societatem moliuntur. His sane summus Imperans opponere debet magistros,

doctores, Theologos, ut cum iis congrediantur, ac veritatem propugnent adversus errorem. Sed cum ad eos illuminandos exilium, carceres, mortisque supplicium intimat, iure suo abutitur, nec minus inepte agit, quam qui adversus syllogismos pugnaret verberibus, vel adversus verbera syllogismis.

X. Perperam ergo dicitur haereticos, de quibus loquimur, puniri posse non tamquam simpliciter, ut aiunt, haereticos, sed ut violatores legum civitatis, quas sibi perspectas habent, & in quarum poenas incurrunt, cum scientes, ac volentes a publica religione deficiunt. Nam huiusmodi leges, si poenas infligant ob diversam conscientiam, a iure regiae maiestatis exorbitant, atque ideo iniustae, ac nullae sunt. In his ab humana potestate nemo vim patitur; ac pro veritate quilibet pugnare existimans adversus hominum vim conclamat: *melius est obedire Deo, quam hominibus*. Scio

qui-

quidem christianos Imperatores, Constantinum, Theodosium, Honorium, aliosque plures tulisse leges poenales adversus idololatras, & haereticos. Nolo de hisce legibus longam instituere disputationem. Quaedam tantum observo, quae ad rem sufficere possunt. Primum quidem animadverto alios Imperatores non minus christianos extitisse, qui religionis libertatem reliquerunt. Nam Iovinianus, etsi christianus, toleravit omnes, qui imperio suo parebant, ea sibi habere sacra, quae vellent. Idem egit Valentinianus senior, ut alios praeteream. Vel ipse Constantinus sub initium, ac diu permisit cultum deorum. De ipso Theodosio narrat Socrates lib. 3. hist. eccl. cap. 25.: *Imperator id sibi proposuerat, ut dissidentium iurgia blanditiis, ac leni verborum persuasione extingueret, aiebatque se nemini omnino, cuiuscumque fidei esset, molestiam exhibiturum; eos tamen prae caeteris amaturum, ac in pretio habiturum, qui reparandae in Ecclesiis pacis auctores, ac Duces*

se praeberent. Quod si aliquando in hostes fidei vel zelo abreptus, vel eorum insolentia excitatus leges poenales tulit, testatur Sozomenus lib. 7. cap. 12., *eum graves quidem poenas legibus suis adscripsisse, nequaquam tamen eas exegisse; neque enim punire subditos, sed terrere tantummodo studebat, ut idem cum ipso de divinitate sentirent; nam & illos laudabat, qui sua sponte convertebantur*. Hinc praeterea videmus leges poenales in hostes fidei latas vel respexisse tantum publicum cultum, vel publicos aut etiam privatos conventus, quos ut seditiosos, vel suspectos Principes habebant. Si vero poenam mortis aliquando intimarunt, ut legitur de Constantio, aliisque nonnullis, eá lex vel promulgata non fuit, vel certe executioni minime mandata, ut videri potest apud Confortium in citatam legem Constantii. Observo deinde eas leges sancitas ex regia maiestate fuisse adversus haereticos inquietos, ac perturbatores, cuiusmodi sunt inter caeteras leges decre-

decretae contra Donatistas, de quibus egimus cap. 9. Atque in his circumstantiis leges huiusmodi, infra mortem tamen, probarunt Patres Ecclesiae, ut eodem capite vidimus. Numquam enim poenam mortis Patres probarunt. *Neč enim haereticum occidere oportet*, inquit Chrysostomus in cap. 13. Matth.: *nam sic irreconciliabile bellum in orbem induceretur.* Denique leges poenales in haereticos latas scrupulose excutiendas esse non puto. Aliud est enim, quod actum est, & aliud, quod fieri debuit. Leges adversus simplicem haereticum poenam inferentes iniustas esse, satis, ut opinor, probavi. Hanc labem, quam iura iis legibus inferunt, hominum exempla non possunt abstergere. Inhaerendum ergo purissimae religionis, ac ordinis immutabilis principiis, atque ad haec exigenda hominum facta, quos notum est, vel pravis cupiditatibus, vel aestu imaginationis, vel zelo praepostero, aut temporum calamitate ab iis recedere.

CAPUT

CAPUT XVI.

Quibusdam animadversionibus, quae ex dictis sponte fluunt, eaque magis illustrant, totum hoc de tolerantia argumentum absolvitur.

I. Ex iactis capite superiori principiis satis, ut puto, intelligitur, non solum inhumanum & iniustum esse quempiam mortis supplicio punire ob falsitatem religionis, quam colit, nisi societatem perturbet, sed etiam eum laedi vel iactura libertatis, vel bonorum fortunae. Ex quo enim ille aliter sentiat in quibusdam fidei capitibus, vel alio modo putet colendum esse Deum, ac publice fiat in ea societate, in qua vivit, dummodo publicam fidem, ac cultum perturbare non nitatur, nihil peccat adversus societatem, ac ideo nullo civili crimine innectitur, quo

ius

lus amittat bonorum corporis, vel fortunae, quo fruitur tamquam membrum, seu pars societatis? Ergo iniuste privabitur iis civilibus iuribus, quibus & caeteri cives, ut cives fruuntur. Quod ut propugnetur, necesse non est conscientiam erroneam haereticorum ab omni peccato, ut facit Baelius, purgare. Fateor Ecclesiam catholicam fulgere notis satis perspicuis, quas si considerarent ipsius inimici pacato animo, exutoque praeconceptis opinionibus, & ab omnibus cupiditatibus libero, facile deprehenderent, eam esse veram Ecclesiam, a qua discedendum non est, licet in ea hominum malitia, vel ignorantia plures abusus, atque malae opiniones irrepserint. Fateor in eo peccare dissidentes, quod a nobis exierint, quod intolerantes fuerint, quod communionis vinculum ruperint, cum nulla esse queat dissolvendae unitatis Ecclesiae legitima ratio. Quare, si uti par est religionis examen instituerent, facile possent veritatem dignoscere, & erro-

errorem deponere. Sed ad propositum nostrum satis est, hoc haereticorum delictum, quodcumque demum illud sit, magis minusque grave pro diversis personarum, locorum, ac temporum adiunctis non esse civile delictum, quod legibus poenalibus societatis subiaceat. Illud punit Ecclesia spiritualibus poenis, illudque puniet in novissimo die supremus omnium iudex, qui scrutatur renes & corda. *Qui verba mea*, ait Christus, *non audit*, *habet qui iudicet eum ; sermo, quem locutus sum vobis, ipse iudicabit eum in novissimo die*. Nolint ergo Principes ante tempus iudicare: nolint corporalibus poenis coercere delicta, quae ad ipsos non pertinent, sed quae sibi Deus reservavit suo tempore diiudicanda, atque punienda.

II. At enim cur poenae adhiberi non possunt ad excutiendam conscientiam erroneam? Terrore homines perculsi sollicitam mentem ad considerationem veritatis inten-

intendunt, ac ita dociles facti eamdem veritatem inveniunt. Ergo non plectuntur ut haeretici, sed monentur per flagella, ut veritatem inquirant. Nonne & pueri utiliter plectuntur, ut in disciplina erudiantur? nonne verberibus compelluntur & famuli, ut muneribus suis fungantur? Catenis vinciuntur etiam phrenetici, ut ab ea, qua laborant, phrenesi liberentur. Cur ergo haeretici poenis excitari non poterunt, ut a somno lethargico, quo sopiti iacent, emergant, & luci veritatis oculos aperiant?

III. His sane plerique moventur. Verum ut candide fatear, si generatim, & ab omnibus adiunctis separata haec rationum momenta spectentur, levissima mihi videntur, ac plena fallaciae. Nam quod primo dicitur, excitari haereticos poenarum sensu ad examen veritatis instituendum, a proposito maxime aberrat. Quodlibet enim examen instituendum est pacato animo, vacuoque a vehementibus affectioni-

bus,

bus, quibus mens impeditur a tranquilla veritatis consideratione. Hinc aiebat Sallustius: *omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet; nam animus haud facile verum praevidet, ubi illa officiunt*. Nihil est hac regula notius in Philosophorum, ac Theologorum dictis. Iam vero neminem pariter arbitror ignorare timorem esse vehementissimam animi affectionem, qua mens tota obnubilatur, concutitur, ineptaque redditur examini rerum rite perficiendo. Ergo inepte poenarum timor eo titulo incutitur, ut per examen veritas inveniatur. Id potius impedimento est veritati mente qua par est affectibus vacua investigandae, & inveniendae. Quis exilii, carceris, mortisque terrore concussus libere poterit ad considerationem veritatis assurgere, liberumque ferre iudicium? nec minus absurde respondetur, poenas inferri, non ut iudicent, sed ut examinent; iisque excitari, non ad decisionem, sed

ad

ad inquisitionem veritatis; nam ad id obtinendum satis est comminari poenas, quin infligantur. Quod si poenae inferantur ad puniendam socordiam in examine perficiendo, & veritate investiganda, quilibet facile respondebit se investigasse, se meditatum esse, se utrinque rationum perpendisse momenta. Quid vero tunc fiet, si veritatem non detexerit, si manserit in errore? Numquid poenis multabitur? Ergo non eo solum titulo iubes poenas infligi, ut homines ad examen excitentur, sed ut credant.

IV. Ergo tunc Princeps conscientiam coarctat contra ius omne, ut saepe dictum est. At enim post institutum examen catholicae Ecclesiae veritas ita se prodit, ut cui non appareat, is vel negligentiae, vel pertinaciae merito accusetur, ac iure arguatur corruptionis animi, a qua ipsius caecitas proficiscatur. Id libens assentior. Sed ille interea certo credit se pro veritate pugnare, nec nisi adversus conscien-

tiam

tiam propriam a religione, quam profitetur, resiliret. Ergo plectis errorem, quem ipse non noscit; vim infers conscientiae; ac si ille terrore poenarum convertitur, habes fictum catholicum, quem apertum haereticum noveras. Si vero non convertitur, eum poenarum cumulo in errore magis obfirmas. Quid ergo emolumenti capis ex poenarum inflictione? Illud semper recolendum, errorem deponi per illustrationem veritatis, ac per intimam animi persuasionem, hanc vero non fieri per verbera, carceres, & exilia. Ergo inepte ista adhibentur ad id obtinendum. Quidquid culpae est in haeretico pacifico, id ad Principis gladium non spectat, sed Deo reservatur, qui cum interiora hominis plene cognoscat, metitur animi corruptionem, ac perversitatem, a qua profluere potest caecitas intellectus, & obfirmatio in errore.

V. Neque ad rem faciunt exempla, quae allata sunt. Pueri enim, donec ad cer-

certam aetatem pervenerint, magis motibus sensuum, doloris scilicet, ac voluptatis, quam ratione reguntur. Hinc non inepte verbera adhibentur, quamvis & his parce utendum sit, ut eos ad ea facienda, quae decent, impellas. Dummodo enim etiam territi id faciant, quod ab iis exigis, semper aliquid fructus percipies. His enim paulatim assuescunt disciplinae, quam ubi ratio adoleverit, persuasione, & amore amplectuntur. Si ab infantibus ex. gr. postulas, ut discant legere, ac scribere, curare debes, ut ad id muneris eos ratione moveas, atque allicias. Quod si indociles fuerint, uti verberibus poteris, quoniam si territi iustis obtemperent, iam habes quod tibi propositum erat. Id autem ab haeretico extorquere vi poenarum non poteris, quoniam, nisi fuerit de veritate convictus, quod sane verbera praestare non possunt, vel hypocritam facies, vel erroris sui tenacissimum. Simili ratione vim cum famulis, qui ad munera implenda nec

monitis, nec instructione moventur, adhibere non dedecet, quia licet doloris sensu ad tibi serviendum flectantur, iam finem assequeris, quem tibi proponis, diligentem scilicet famulatum, sive ministerium, quod parum tua interest, an cum intima animi persuasione exhibeant, an timore poenarum coacti. Sed stultum esset minis, ac poenarum conspectu terrere famulum, ubi non de actionibus externis ageretur, sed de internis animi modificationibus, mentis scilicet opinionibus, atque conscientia. Hanc enim mutare velle per catenas, ac verbera multum a ratione dissonum est. Ex quo patet, multo minus ad propositum facere exempla, quae ex phreneticis, vel amentibus sumuntur. Si quem enim video ita mente captum, ut ex. gr. e fenestra se deiicere velit, vel in se gladium convertere, utique mihi fas est uti catenis, ac baculo, ut a proposito illum deterream. Sed quid habent ista commune cum haeresi? Haec

emin

enim phrenesis est intellectus, est error mentis, quem non vi, sed ratione depelles ex animo. Ergo agunt Principes contra rerum naturam, & ordinem, quum ad haereticos convertendos poenis utuntur.

VI. ERGONE Principes leges ferre non poterunt pro veritate adversus errorem? Sed iam vidimus, quid Principibus agendum sit ad veritatis tuitionem. Nihil sane omittere debent, quod eidem propagandae, latiusque promovendae inservire possit; nihil est officio Principis dignius, nihil excellentius, nihil populo utilius, atque salubrius. Sicut enim pietas ad omnia utilis est; sic falsitas, error, superstitio in perniciem demum vergit societatis. Quare nihil magis cordi esse debet Principi, quam veritatis tutela. Sed iam monuimus hoc munus exsequi Principes oportere iis adminiculis, eaque ratione, quae & Principem deceat, & digna sit caussa, quam tuentur. Docuimus etiam non semel propagandae, ac tuendae veri-

 tatis

tatis rationem non in armorum vi, ac poenarum terrore consistere, sed in instructione, praedicatione, doctrina, patientia. Hanc vidimus esse indolem religionis nostrae; hanc methodum a patribus nostris adhibitam; hunc spiritum Ecclesiae christianae; hanc veritatis ipsius naturam, quae suaderi amat, non cogi, amari desiderat, non timeri. Suipsius amorem instillari vult hominum animis, non terrorem; vel si terret veritas, non terret nisi formidine futuri iudicii, in quo sua iura ab impiorum ausibus vindicabit. Odit ipsa hypocritas, refugitque sibi servientes vel poenae, vel mercedis temporalis intuitu. Nihil ipsa veretur, nisi ignorari; oditque vias clandestinas, quibus homines student eam propagare. Abhorret ab armis, & a quacumque violentia, quasi ipsa indigeat humanis subsidiis, ut vincat, cum vincere ipsa non soleat, nisi lenitate, patientia, ac persuasione. Hanc agendi rationem a suis tutoribus veritas postulat.

Ergo

Ergo Principes satagant, ut populus veritate imbuatur, atque adeo curent, ut ministri religionis pii aeque, ac docti sint, ac plebem nutriant verbo, & exemplo; ut scholae floreant, habeantur catecheses, ac doctrina sana annuntietur. Haec ipsi tueantur, foveant patrocinio, favore, regiisque edictis. Hisce mediis veritatem defendant, & errorem evertant non saeviendo in haereticos exilio, carceribus, morte. Sic enim non defenditur religio, sed polluitur; non vindicatur, sed foedatur humano sanguine. Hisce victimis non delectatur Deus amator pacis, & charitatis, qui propterea errantes vult emendari, ac corrigi, non mactari, & occidi. Sic Principes muneri suo satisfacient. Quod si errorem propagari contigerit, dummodo ea media adhibuerint ad eum vincendum aptissima, nihil est, de quo seipsos redarguant. Recolant se partes suas implevisse, Ecclesiaeque caussam divinae providentiae committant, quae permittit & haereses

esse ad fidei probationem, ac novit ex malis bonum elicere.

VII. Quae tamen dum dico, semper suppono haereticos non esse inquietos, persecutores, ac societatis, publicaeque religionis perturbatores. Nam ut supra demonstravimus habet Princeps ius gladii ad tuendam Ecclesiam ab iniusta suorum hostium aggressione. Tunc potest Princeps, ac debet persecutorum audaciam poenis compescere, idque magis vel minus pro variis personarum, locorum, ac temporum circumstantiis. Aliter enim agendum est, cum primum nascitur error, aliter cum adultus fuerit, & in sectam concrescit; aliter demum, cum iam secta stabilita fuerit, ac firmas radices egerit. In hisce variis circumstantiis Principis munus est reipublicae bonum cum bono Ecclesiae conferre, ac ita religioni consulere, ut societatis bonum non evertat. In hac collisione officiorum prudentiae Principis est ita rem componere, ut ex una parte non de-

destruat volens ex altera aedificare. Nam quandoque res eo deveniunt, ut pax cum haereticis nimium potentibus sit ineunda, ac cum ipsis foedera, ac conventiones faciendae, ne respublica intereat; atque ita res erant, cum pax Weostphalica a Germaniae Principibus inita fuit, quam postea servarunt, ac servant Principes, licet in eam Romani Pontifices non consenserint. Agitur enim de bono politico reipublicae, de quo iudicare non Pontificum, sed Principum est. Ergo pro diversis adiunctis diversa quoque esse debet agendi ratio a Principe tenenda. De his singillatim agere operae quidem pretium esset; sed nimis in longum protraheretur oratio. Illud denique moneo, ut sive cum haereticis pacificis agendum sit, sive cum inquietis, ita Princeps tolerantiae fines conciliet, ut aequitatis iura, ac naturalem libertatem in illis non laedat, cum his bonum reipublicae ita componat, ut veritati favorem, patrocinium, privilegia,

quantum idem societatis bonum fieri permittit, impendat.

VIII. Splendidissimum huius aequissimae tolerantiae catholico Principe dignissimae exemplum praebuit in celebri suo de tolerantia Decreto immortalis Augustus Ioseph II. Hic enim incensus religionis amore, quem una cum imperio haereditario iure a maioribus suis accepit, inter innumeras, atque amplissimas regni sui curas, non minus populorum parens providentissimus, quam Ecclesiae Christi vigilantissimus tutor, ac vindex, in id potissimum attentionem suam convertit, ut religionis, Ecclesiaeque catholicae bonum magis magisque promoveat. Hinc tot saluberrima in rebus ecclesiasticis decreta edita sunt, quae & ipsius nomen posteritati commendant, & Ecclesiae christianae summam utilitatem, ac gloriam sunt paritura. Nihil enim eorum, quae ad verae religionis incrementum, ac laudem conducere possunt, tanti Principis attentionem fugit.

Hinc

Hinc ad puritatem ecclesiasticae disciplinae iamdiu collapsae restituendam, eamque, quae ecclesiasticos decet, morum sanctitatem revocandam nihil intentatum relinquit. Huc enim spectant sanctissimae eae leges, quas condidit pro collatione beneficiorum ecclesiasticorum, ac pro reformatione regularis, & monasticae disciplinae, quae sicut olim, cum floreret, Ecclesiae ornamentum, & christiano populo utilitatem comparavit, ita postea calamitate temporum collapsa conversa fuerat in Ecclesiae dedecus, & inutile pondus societatis. Huc spectant decreta ad abusus removendos, qui in bonorum Ecclesiae administratione irrepserant, ad cultus superstitionem e populorum animis evellendam, quam hominum cupiditates invexerant, ut hac ratione eas quasi deformitates abstergeret, quibus Ecclesiae facies deturpatur. Quid vero dicam de erroribus, malisque opinionibus iamdiu inveteratis, quas e regno suo exulare iussit novis institutis, vel restauratis Col-

legiis,

legiis, Academiis, Universitatibus, Seminariis, ac undique adscitis purioris doctrinae magistris, ut nova studiorum institutione paulatim fieret humanarum mentium ab erroribus, vel inutilibus scholasticorum quaestionibus ad veterem solidamque Ecclesiae doctrinam conversio, ac ita sublatis dissidiis, una, quantum hominum natura patitur, esset omnium sententia ac vox in rerum divinarum scientia? Quae quidem omnia non solum eo tendunt, ut mysticum Christi corpus, Ecclesiam nimirum aedificent, sed etiam viam parare possunt ineundae exoptatae diu votis bonorum omnium, modisque omnibus procurandae dissidentium concordiae, ac reditus ad unitatem Ecclesiae. Quod sane prae oculis habens piissimus AUGUSTUS, ac dolens vehementer ea mala, quae tum religioni, tum societati ex varietate sectarum in amplissimis imperii sui provinciis obvenire solent, provido consilio ea impedimenta removere studuit, quae ineundae concor-

diae

diae obstare possunt. Hac de caussa cum ecclesiasticae disciplinae abusus, tum opinionum Theologicarum dissidia, quae scandalo, & offensioni semper fuerunt haereticis, vel quibus saltem veluti colore uti solent ad proprium schisma fovendum, de medio pro viribus auferre sategit. Cum vero intelligeret praecipuum divisionis veluti murum esse opiniones illas rudioribus saeculis natas, quibus dominatio curiae Romanae superstructa fuerat, tum etiam spiritum illum persecutionis, quo eadem curia animata erat, suosque animabat adversus haereticos, in id praesertim edictis suis incubuit, ut ecclesiasticam hierarchiam ad veram sui formam reduceret; animosque catholicorum liniret spiritu evangelicae charitatis adversus fratres errantes. Quod variis modis perficere aggressus est, novoque potissimum studiorum genere legibus sancito, quo revocata est germana Ecclesiae doctrina, ac legitima ratio ecclesiasticae disciplinae intellecta; cumque

perspi-

perspiceret ex coarctatione conscientiae, legibusque poenalibus adversus haereticos latis magis animos exacerbari, ac foveri in societate dissidia, iurgia, turbas non religioni solum, sed etiam reipublicae tranquillitati, ac securitati Principis perniciosissimas, celebre de tolerantia decretum edidit, quo & aequitatis iura servavit, & rem ita disposuit, ut depositis mutuis animorum odiis minus a se invicem subditi sui distarent, ac ita facilior evadere posset etiam ad fidei unitatem accessus. Quo in decreto condendo non solum iuribus regiae maiestatis, sed etiam muneri tutelae catholicae Ecclesiae optime satisfecit. Illud enim non solum ad bonum reipublicae, sed etiam ad christianae prudentiae regulas felicissime exegit. Nam & sectas a sectis distinxit, quietas nimirum, nec societati infensas a turbulentis, ac seditiosis; & eas tolerantia donavit finibus suis circumscripta, ac ita donavit, ut satis cuique innotesceret, se ut societatis caput

caput subditis suis concedere, quod aequitatis iura, ac bonum reipublicae postulabat, se vero ut vindicem, ac tutorem Ecclesiae catholicae peculiare eidem patrocinium, ac favorem impendere. Quod luculentissime quisque intelliget ex Imperiali decreto, quod hic latine redditum subiicio, & quo totum hoc quod paucis contraxi, de tolerantia argumentum absolvo.

Cum persuasum sit Regiae Maiestati Imperiali Austriacae, quantum ex una parte religioni, & statui noceat conscientiarum coarctatio, ex altera vero quantum illis prodesse possit tolerantia vere christiana, sequentes regulas illis, ad quos pertinet, sancivit, ac praescripsit, ut inviolabiliter observentur.

I. *Haereticis omnibus Augustanae, & Helveticae confessionis, nec non Graecis schismaticis, ubi sat multi sunt, & pro ipsorum viribus exerceri poterit, privatum propriae religionis exercitium ubique licebit, quamvis id antea in usu non fuerit.*

II. *Per*

II. *Per hoc tamen privatum religionis exercitium Protestantibus , & Schismaticis non intelligimus concessum campanas habere , nec illarum turres in eorum Ecclesiis , aut Oratoriis , nec publica ex via aditum , qui Ecclesiam indicet . His vero servatis , eas Orationis domos poterunt , ubi ipsis placuerit , construere . Et liberum ipsis erit proprii cultus , & religionis exercitium , tam intra Ecclesiarum limites , quam extra eosdem , & apud infirmos , ubicumque sint .*

III. *Ubi Protestantes , & Schismatici maiori gaudent libertate , haec intacta permanebit .*

IV. *Non difficulter concedet M. S. omnibus praedictarum religionum assectis , etiam in provinciis , & urbibus , ubi religionis caussa nondum erat licitum , idque semper per modum dispensationis , iura possidendi , incolatus , civitatis , magisterii , academicos honores , & civilia officia .*

V. *Ad*

V. *Ad nullam iuramenti formulam cogentur, nisi quae ipsorum religioni conformis fuerit, nec processionibus, aut aliis publicis dominantis religionis functionibus adesse cogentur, nisi sponte velint.*

VI. *In electionibus, & officiorum distributionibus nulla religionis ratio habebitur, sed quemadmodum inter milites sine ullo absurdo, maximoque fructu observari solet, & sola recurrentis integritas, & capacitas, ipsiusque christiana, & moralis vitae consuetudo considerabitur.*

VII. *Haec suprema determinatio omnibus Dicasteriis, Circulorum Officiis, Universitatibus, Dinastiis, & Magistratibus iam promulgata fuit, ut inviolabiter observetur, &c.*

THESES

QUAS MAGNIS SUB AUSPICIIS

IOSEPHI II. AUGUSTI

IN REGIO = CAESAREO ARCHIGYMNASIO

TICINENSI

AD ASSEQUENDAM

S. THEOL. LAUREAM

ANNO MDCCLXXXIII. DIE V. IULII

PUBLICE DEFENDIT

THADDAEUS

S. R. I. COMES

DE TRAUTMANSDORF

ECCLESIAE METROPOL. OLOMUCENSIS

CANONICUS

IMPERIALIS COLLEGII GERMANICI

ET HUNGARICI

ALUMNUS.

I.

MALE ratiocinantur, qui ex loco S. Pauli ad Cor. I. cap. 7. inferunt vinculum matrimonii coniugum infidelium solvi per conversionem alterutrius ad Christianam fidem.

Recepta a pluribus saeculis verborum Apostoli interpretatio est solvi matrimonii vinculum per divortium mulieris, quae ab Ethnicorum, vel Iudaeorum secta recedens ad fidem christianam convertitur, nec ad se trahere potest virum renuentem cohabitare cum illa. Haec sententia altiorem habet originem. Nam quidam Diaconus, cui nomen Ambrosii inditum erat, sexto saeculo commentarium quoddam composuit in epistolas Pauli, atque eidem illam quam diximus interpretationem inseruit. Diu latuit hoc opus, ac demum eo tempore apparuit, quo criticae artis defectu auctorum opera, & nomina insigniter permixta sunt. Ambrosii nomen plures decepit, eosque adduxit, ut cre-

 derent

derent opus esse Ambrosii Mediolanensis; alii styli discrepantia commoti non Ambrosio, sed Gregorio Magno illud tribuerunt. In hac sententia fuit Gratianus, qui tanti Pontificis auctoritate fultus, cum opus suum consarcinaret, Ambrosiastri sententiam sub Gregorii nomine inseruit. Hoc decretum apud Gratianum invenit Innocentius III., illudque bona fide exscripsit, ac posuit in lib. IV. decretalium cap. *quanto & gaudemus de divortiis*. Postea vero Theologi, ac iuris interpretes Gratiani, & Innocentii auctoritatem secuti hanc sententiam communiter docuerunt, ac docent, licet iampridem exploratum sit praedictum commentarium, è quo ea sententia manavit, non esse Ambrosii, nec Gregorii, sed ut aiunt, Ambrosiastri, boni quidem viri, sed minus quam par est eruditi.

Ab eo tempore non solum de separatione coniugum a thoro, vel convictu, sed etiam de solutione vinculi matrimonii interpretati sunt ea Apostoli verba epistolae I. ad Corinth. vers. 12., non satis animadvertentes vim totius contextus, ac venerabilis anti-

qui-

quitatis sensum. Nam licet Apostolus non loqueretur de illegitimis connubiis, quae tunc temporis apud Ethnicos erant in usu, id quod aliqui volunt ob graeci textus lectionem, sed loqueretur de legitima uxore, satis Pauli sententiam prodit vel ipsa loquendi diversitas quam Apostolus adhibet. Nam in eadem epistola, ubi loquitur de vinculo matrimonii, eiusque solutione, non utitur verbo *discedere*, sed verbo *solvi* ac *liberari*; iacitque generale principium absque exceptione vinculum illud non solvi nisi per mortem, ac ideo mulierem futuram esse adulteram, si vivente viro fuerit cum alio. Pergit vero cap. VII. non de vinculo, sed de debito coniugali disserere aitque *uxori vir debitum reddat &c. nolite fraudare ad invicem &c.*: duas postea exceptiones adiungit: 1. *nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi &c.*: 2. quoad connubia infidelium, si nempe pars infidelis discedat, renuatque habitare cum fideli coniuge. Hoc enim in casu potest fidelis discedere; *nec enim servituti subiectus est in huiusmodi*, servituti scilicet, quam superius dixerat debitum coniu-

gale. Verum si discesserit, redit generalis regula a Christo ipso sancita, quam Paulus supra tradiderat, manere scilicet oportere coniugem innuptam sive fidelem sive infidelem, cum vinculum matrimonii non solvatur nisi per mortem. Quod ut Christus adstrueret matrimonium revocavit ad primaevam sui institutionem, ac universalem prorsus legem intimavit. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Haec est germana Apostolici textus explicatio, quam & ipse contextus innuit, & Augustinus, caeterique PP. Ecclesiae tradiderunt. Quare non satis intelligo, cur tot clamores excitent dum haec audiunt, qui in contraria opinione versantur, quae nisi numero fautorum gloriari non potest.

II.

IMPERFECTA contritio, si omni charitate destituatur, ad obtinendam gratiam in Sacramento Poenitentiae minime sufficit.

Vix credibile videtur in lege amoris de necessitate amoris litem potuisse moveri. Cum tota scriptura eo tendat, ut charitatem adstruat, & culpet cupiditatem, sicut loquitur Augustinus, cum dilectionis mandatum omnium primum sit, a quo tota lex pendet, & Prophetae, cum universa religio christiana in omnibus cum morum praeceptis, tum sacramentis ac ritibus non redoleat nisi charitatem; qui fieri potuit, ut christiani Theologi in sinu Ecclesiae Christi hoc praeceptum evacuare conati fuerint? Evacuant enim quotquot opinantur per solum poenae timorem omni amore Dei destitutum iustificationis gratiam comparari posse. Nam si tanta timoris est vis, fieri sane potest, ut quis per totam vitam vitiis indulserit, & inopinato morbo correptus

divini iudicii, ac inferni timore perterritus peccata confiteatur, & e vita absolutus discedat. Quo posito salutem assequitur, qui nunquam toto vitae suae tempore Deum dilexit. Quo ergo spectat divinae dilectionis mandatum? Quo spectant insignia Apostoli testimonia in 1. ad Corint. scribentis nec donum linguarum, nec fidem, nec ipsum martyrium ad vitam aeternam absque charitate prodesse; & ad Gal. 5. describentis timorem ceu characterem veteris testamenti, amorem vero evangelicae legis? Nesciunt ergo cuius spiritus sint, qui putant sine charitate acquiri posse iustitiam. Atqui tam multi extiterunt, qui in hac opinione versati sunt, ut tempore Alexandri VII. ea in scholis communius doceretur. Ergo nihil est tam absurdum, tam absonum a veritate, quod hominum mentes occupare non valeat.

Verum ab his non solum indolem religionis Christianae ignorari oportet, sed vel ipsam timoris, animique humani naturam. Ea enim est timoris indoles, ut manum cohibeat, animum vero non mutet. Hinc

con-

constans est Patrum sententia per eum voluntatem peccandi minime excludi. *Qui timore supplicii*, ait Augustinus de nat., & grat. c. 17., *non amore iustitiae se sentit abstinere ab opere peccati*, *nondum liber est*, *nec alienus a voluntate peccandi*. Quod alibi saepissime repetit. Siquidem desiderium peccandi, ut idem ait, non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi. Odium enim mali non oritur nisi ex amore boni oppositi. Bonum autem quod peccato directe opponitur, est iustitia Dei, sive ipsemet Deus. Qui ergo Deum non amat, non potest odisse peccatum. Hinc merito ait Augustinus: „*qui gehennas metuit*, *non peccare metuit*, *sed ardere*. Bonus quidem est, ac iustus gehennae timor: stulte enim proprium malum diligeretur. Sed timor ad animi conversionem non sufficit. Huius enim conversio non fit nisi per amorem, cum ipse animus nihil aliud sit nisi amor, qui propterea ab una in aliam rem non movetur nisi amore: *amor meus*, *pondus meum*; *eo feror*, *quocumque feror*. Cum a peccato recedit timore gehennae, movetur

animus amore sui, qui nisi ordinetur ad Deum, vitio non caret. Non ordinatur autem ad Deum nisi per charitatem. Ergo animus sine charitate ad Deum non convertitur. Per timorem enim ab obiecto peccati ad seipsum convertitur, sibique inhaeret, nisi ulterius per amorem iustitiae moveatur ad Deum. Animus autem sibi inhaerens ordinatus non est. Inhaeret enim creaturae, ideoque ordinem pervertit. Si quidem *duo sunt amores*, ut ait S. Leo, *ex quibus omnes prodeunt voluntates. Rationalis enim animus, qui sine amore esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla sunt nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.* Similia habet S. Gregorius caeterique Patres, Augustinus praesertim, qui eo principio doctrinam suam adversus Iulianum inaedificavit. Ex his autem evidens est animum qui gehennas timet, amare seipsum, ac nisi charitate progrediatur ad Deum, esse amatorem creaturae, eidemque propterea cum ordinis violatione inhaerere. Haec principia in amplissimo argumento tam late a plerisque discurso indicasse sufficiat.

Et

Ex his intima ratio intelligitur, qua perpetua fuerit totius Ecclesiae sententia animi conversionem ad Deum sine ipsius dilectione fieri non posse. Praetereo patrum ac synodorum luculentissima testimonia apud auctores tritissima. Id unum sufficiat animadvertere usque ad synodum Tridentinam de hac veritate a Theologis dubitatum non fuisse; immo vel in ipsa synodo Tridentina licet varia decreta edita sint adversus errorem Novatorum, qui putabant vitiosum esse timorem gehennae seiunctum a charitate perfecta & a gratia iustificante, nunquam vocatum in quaestionem fuit, an timor poenarum omni charitatis motu destitutus ad iustificationis gratiam in sacramento percipiendam sufficeret. Tridentini mentem plures tam clare exposuerunt, ut superfluum sit quidpiam in hanc rem addere. Coepit quaestio moveri a Theologis, an qui timore concussus ad sacramentum accederet putans se charitatis motu percelli, per bonam fidem aptus esset gratiae in sacramento acquirendae. Placuit nonnullis id affirmare. Successu temporis quaesitum est, an etiam timor sic cognitus satis ad gratiam habendam

bendam disponeret. Affirmantem sententiam aliqui propugnarunt meticulose primum, ac trepidanter, sed numero deinde fautorum audaciores facti eo devenerunt, ut intrepide novitatem postea defenderint, immo & contrariam antiquitatis sententiam erroris insimulaverint. Sic ortum ac vires accepit novitas quae christianae iustificationis naturam & indolem omnino labefactavit. Ex quo deinde orta est ea quam boni omnes dolent, absolvendi facilitas nixa falsis iustificationis ac poenitentiae notionibus, quae ex ea derivarunt. His falsis poenitentiae christianae notionibus nuperrime occurrere studuit egregia pastorali instructione in lucem edita Celsissimus, ac Reverendissimus S. R. I. Princeps Theodorus de Collaredo Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Olomucensis, quem honoris caussa nomino, & cui summopere addictum me esse profiteor.

III.

III.

Ecclesia Cathedralis dignitate sua haudquaquam excidit ob diuturnam viduitatem etiam sub ditione Principum acatholicorum.

Haec veritas unicuique patens, qui vel leviter ecclesiasticae hierarchiae notionibus imbutus sit, multis ostenditur in supplemento ad varias collectiones operum clar. viri Vanespenii. Sat igitur erit paucis ostendere veluti propositionum catenam, qua veritas illa construitur. Primus veluti annulus illud principium est Ecclesiam ex S. Cypriani definitione consistere in pastore, & populo in fide catholica adunatis. *Ecclesia*, ait S. Pater, *est plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhaerens*. Pastoris autem nomine intelligit quidem Cyprianus praesertim episcopum; loquitur enim de Ecclesia perfecta, quae sine episcopo esse non potest. Sed non inde consequitur Cypriani iudicio Ecclesiam interire, ubi viduata sit. Nec enim si episcopus aut infirmus, aut absens,

aut

aut mortuus fuerit, intelligitur continuo Ecclesiam periisse. Nam licet desit praecipuus sacerdos, & pastor, adhuc pergunt inferiores pastores gregem pascere, & defuncti episcopi vices supplere. Hinc vel ipse Cyprianus agnovit vere subsistentem Ecclesiam Romanam, licet viduatam Fabiano Pontifice: nam literas dedit ad clerum Romanum, qui sede vacante viduatam Ecclesiam regebat. Et S. Ignatius martyr, cum duceretur ad mortem, Presbyteris suis Ecclesiam regendam commisit iis verbis: *Presbyteri pascite gregem, qui inter vos est, donec Deus designaverit eum, qui principatum inter vos habiturus est. Ego enim immolor &c.* Nam & Presbyteri missi sunt qui gregem pascant, & quibus fideles subiecti esse debent, *ut legi Iesu Christi, episcopis vero, ut gratiae Dei*, sicut loquitur idem S. Ignatius. Nam non solum de Apostolis, sed etiam de 72. Discipulis dixit Christus: *qui vos audit, me audit*. Licet ergo orbata maneat etiam diu Ecclesia praecipuo pastore, scilicet episcopo, non inde consequitur eam interire.

Nec

Nec minus est certum nihil Ecclesiae obesse , quod ea sit sub ditione Principum acatholicorum , a quibus vim etiam patiatur , ac ideo prohibeatur habere exteriora ea adminicula , quae ad externum ipsius splendorem requiruntur . Quis enim dixerit haec requiri ad Ecclesiae substantiam ? Numquid his adminiculis fulciebatur Ecclesia , cum bonis spoliata , aedibus pulsa , furtim , noctu , in cryptis , atque speluncis sacros conventus agebat , vel in carceribus sacra offerebat ? Anne Ecclesia esse desiit persecutionum tempore , cum totum splendorem mutuabat a puritate fidei , ac fidelium martyrio ? Ea igitur , quae non ad instar Synagogae , cui promissa erat terrena felicitas , sed tamquam caelestis Hierusalem nata est , & adolevit inter angustias, & paupertatem , successu temporis ita mutari non potuit , ut Ecclesia esse desinat , nisi & sumptuosa templa teneat , & diviti apparatu Praesulum , aliorumque ministrorum instructa fuerit ? Atqui S. Hieronymus ita ad Evagrium scribebat : *ubicumque fuerit episcopus , sive Romae , sive Eugubii , sive Constantinopoli &c.*

eiusdem

eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit: caeterum omnes Apostolorum successores sunt. Quam sententiam Gratianus exscripsit, retulitque in decretum suum, & S. Bernardus secutus est in tract. *de moribus, & officio episcoporum c.* 2. licet eo saeculo viverent, quo iam florebat Ecclesia exterioribus his ornamentis.

Neque demum ut subsistere Ecclesia intelligatur, vis coactiva requiritur, aut forensis strepitus, qui sub ditione acatholicorum exerceri non potest. Nam Ecclesiae essentialis potestas tota spiritualis est, docendi scilicet, sacramenta conferendi, & eos, qui contradicunt, arguendi, ac si indociles fuerint, expellendi a communione sacrorum. Haec autem potestas, quae ad constituendam Ecclesiam ex Christi instituto satis est, exerceri optime potest sine ulla vi coactiva, ac forensi strepitu. Hunc sane strepitum nec Christus instituit, nec prima Ecclesia habere potuit. Primi Imperatores christiani episcopis largiti sunt quoddam forum externum, sed solum

ut

ut arbitris. Invaluit ille saeculo XII. in Ecclesiis indulgentia Principum pro iudiciis ecclesiasticis ferendis. Sed ille adventitius est, & pro nutu Principum dari, ac removeri potest. Ergo hic nihil afficit Ecclesiae substantiam, ut multis probatur in citato supplemento disquisit. I. de vindiciis resolut. Doctor. Lovaniens. Igitur nihil impedit quominus Ecclesia vere subsistat sub ditione acatholicorum, licet ab his impediatur vis coactiva, & forum externum; immo licet fortasse impediatur liberum exercitium iurisdictionis spiritualis. Hoc enim in statu fuerunt tot florentissimae Ecclesiae persecutorum tempore, quin illae esse propterea desierint: exercebant enim ea ratione, qua poterant, ecclesiastica munia, quae ad essentiam sacri regiminis pertinent. Quare certum est Cathedralem Ecclesiam dignitate sua nequaquam excidere ob diuturnam viduitatem etiam sub ditione Principum acatholicorum. Quae sane veritas tam perspicua mihi videtur, ut intelligere nequeam, quo iure lis super illam moveri potuerit: at mota fuit lis occasione Ecclesiae Ultraiectinae iamdiu

a Ro-

a Romana curia dire vexatae, dignaeque profecto, cui ab Ecclesiis adversus Romanorum iras succurratur. Ecclesiam illam, quae diu substitit, & adhuc subsistit, in puram, ut aiunt, missionem convertere Romana curia cogitavit, utque id assequeretur, eo confugit, ut diceret eam Ecclesiam periisse, atque hoc colore eamdem evertere conata est. Colorem hunc, quo iniustam oppressionem contegere illa studuit, vindicare aggressi sunt Papenbrochius, Lupus, aliique, qui frivolas eas rationes protulerunt, quas generatim excussimus. Ab his Ultraiectinam Ecclesiam latissime vindicavit auctor citati supplementi. Videri etiam possunt, quae cap. 9. huius libri breviter indicavimus.

IV.

IV.

Ex iure tutelae, quam Principes christianae Ecclesiae debent impendere, perperam aliqui colligunt eos non posse tolerare in fide dissidentes.

Id satis constare arbitror ex toto hoc libro *de tolerantia*, maxime ex duobus postremis capitibus.

FINIS.

